DE NIOBIDARUM COMPOSITIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

FRANCISCUS GENSICHEN,

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

BEROLINI 1869.

APUD L. HEIMANNUM,

VIA GUILELMA 91.

„Der Grundsatz, dass die künstlerische Seite des klassischen Alterthums nur künstlerisch erkannt werden möge, ist in Ehren zu halten, und keine Art der Kritik und Auslegung, sie mögen Kunst und Poesie, Philosophie oder Geschichte berühren, sollte von der Erkenntniss und Empfindung eigenthümlicher Natur und Geistes in den Gegenständen verlassen sein.“

Welcker A. D. I., p. 388.

PATRI CARISSIMO

HERMANNO GENSICHEN

SACERDOTI ECCLESIAE NEO-TREBBINENSIS

HASCE PRIMITIAS

DEDICAVIT AUCTOR.

Index
scriptorum, qui hac in dissertatione commemorantur.

Adnotatio. Jis auctoribus, quorum uno tantum libro usus sum, in disputatione ipsa paginam tantum lunulis inclusam adscribam titulo libri non commemorato. Eorum autem scriptorum, quorum complures libros tractavi, etiam titulos operum afferam notis adhibitis, quas statim enumerabo. Numerus Arabicus statuis adscriptus ad Welckeri pertinet compositionem. Vocabula dexteri et sinistri ex statu signorum, non spectatorum intellegenda sunt. Duobus libris summa opera adhibita uti mihi non licuisse valde doleo. Qui libri sunt:

Burmeister, de fabula quae de Niobe ejusque liberis agit, Vismar 1836.

Michaelis, archäologisch-ästhetische Andeutungen zur Niobegruppe, Neustrelitz 1860.

Reliqui libri, quos diligenter pertractavi, hice sunt:

Becker, Augusteum, Dresdens antike Denkmäler enthaltend, 3 Bände, Leipzig 1804—1811.

Böttiger, Andeutungen zu 24 Vorträgen über die Archäologie, Dresden 1806.

Braun, Die Ruinen und Museen Roms, Braunschweig 1854.

Brunn, Geschichte der griechischen Künstler, Braunschweig 1853—1859, 2 Bände.

Burckhardt, Cicerone, Anleitung zum Genuss der Kunstwerke Italiens, Basel 1855.

Bursian in duabus ephemeridibus quaestionem de Niobidis tractavit, quibus nomina sunt:
L. C. = Literarisches Centralblatt für Deutschland von Friedr. Zarncke, Leipzig 1864, Stück 1.
N. J. = Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik, 77. Band, Leipzig 1858.

Clarac, Musée de sculpture antique et moderne, 4 vol., Paris 1826—1837.

Curtius, Ernst, Göttingische gelehrte Anzeigen 1864, Stück 1.

Engelmann, De Jone, dissertatio archaeologica, Halae 1868.

Fabroni, Dissertazione sulle statue appartenenti alla favola di Niobe, Firenze 1779.

Feuerbach,
G. Pl. = Geschichte der griechischen Plastik, herausgegeben von H. Hettner, 2 Bd., Braunschweig 1853.
V. A. = Der Vatikanische Apollo, Nürnberg 1833.

Friederichs,
Bst. = Bausteine zur Geschichte der griechisch-römischen Plastik, Düsseldorf 1868.
Prax. = Praxiteles und die Niobegruppe, Leipzig 1855.

Gerhard,
A. Z. = Archäologische Zeitung 1843 - 1844.
B. a. B. = Berlins antike Bildwerke, erster Theil, Berlin 1836.
B. R. = Beschreibung der Stadt Rom von Platner, Bunsen, Gerhard und Röstell, zweiter Band, zweites Buch, Stuttgart & Tübingen 1834.
Dr. V. = Drei Vorlesungen über Gyps-Abgüsse, Berlin 1844.

Gerlach, Ilioneus, Archäologische Plaudereien, Zerbst 1862.

Hermann,
Aesch. = Aeschyli tragoediae, Berolini 1859, 2 vol.
opusc. = opuscula, volumen tertium, Lipsiae 1828.

Hirt,
M. B. = Bilderbuch für Mythologie, Archäologie und Kunst, zwei Bände, Berlin 1805—1816.
Horen, herausgegeben von Schiller, Jahrgang 1797, 10. Stück.

Jahn, Archäologische Beiträge, Berlin 1847.

Kapp, Italien.

Kugler, Handbuch der Geschichte der Malerei. Zweite Auflage, vermehrt von Burckhardt, Berlin 1847, 2 Bd.

Lehrs, Populäre Aufsätze aus dem Alterthum, Leipzig 1856.

Lessing,
H. D. = Hamburgische Dramaturgie, zwei Bände, 1767—1769.

Laokoon oder über die Grenzen der Malerei und Poesie, 1766.
B. T. = Wie die Alten den Tod gebildet, 1769.

Levezow, Ueber die Familie des Lykomedes, Berlin 1804.

Mengs, Sämmtliche hinterlassenen Schriften, übersetzt und herausgegeben von Dr. G. Schilling, Bonn 1843—1844, 2 Bände.

Meyer, Bruno, De Niobidarum compositione, dissert. inaugur. Berolini 1864.

Meyer, Heinrich, Propyläen von Göthe, 1799, zweiten Bandes erstes und zweites Stück.

Mueller,
D. a. K. = Denkmäler der alten Kunst, Göttingen 1832.
Gr. Lit. = Geschichte der griechischen Literatur, Breslau, 1857, zwei Bände.
H. A. Z. = Allgemeine Literatur-Zeitung vom Jahre 1835, Halle & Leipzig.
Hndbch. = Handbuch der Archäologie, Breslau 1848.

Overbeck, Geschichte der griechischen Plastik, zwei Bände, Leipzig 1857-1858.

Ramdohr, Ueber Malerei und Bildhauerarbeit in Rom. Zweiter Theil. Leipzig 1798.

Raoul-Rochette, Monumens inédits, première partie, cycle héroique, Paris 1833.

Schlegel, A. G. de, Oeuvres écrites en français et publiées par Édouard Boecking; tome second, Leipzig 1846.

Schnaase, Geschichte der bildenden Künste bei den Alten, zweiter Band, Düsseldorf, 1843.

Schorn, Ueber die Studien der griechischen Künstler, Heidelberg 1818.

Spence, Polymetis, in ten books, London 1755.

Stahr, Aristoteles Poetik übersetzt und erklärt, Stuttgart 1860.

Stark, Niobe und die Niobiden in ihrer literarischen, künstlerischen und mythologischen Bedeutung. Leipzig 1863.

Thiersch, Ueber die Epochen der bildenden Kunst unter den Griechen, München 1829.

Trendelenburg, Niobe, einige Betrachtungen über das Schöne und Erhabene, Berlin 1846.

Vischer, Aesthetik oder Wissenschaft des Schönen. Dritter Theil, Reutlingen und Leipzig 1851.

Visconti, Musée Pie-Clémentin, tome IV., Milan 1820.

Wagner, Kunstblatt No. 51—63, Stuttgart und Tübingen 1830, in der Cotta'schen Buchhandlung.

Welcker,

A. D. = Alte Denkmäler, Erster Theil, Göttingen 1849.

Gr. Tr. = Die griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet, erster Theil, Bonn 1839.

Winckelmann's Werke. Einzig rechtmässige Originalausgabe. Erster Band. Stuttgart Hoffmannsche Verlagsbuchhandlung 1847.

Zannoni, Reale Galeria di Firenze illustrata. Serie IV, vol. 1 und vol. 2., Firenze 1817 u. 1819.

Prolaturo mihi nonnullas observationes, quae ad Niobidarum compositionem pertinent, initio statim explicandum videtur, quomodo rem propositam sim tractaturus. Neque disquiram, quis statuarum fuerit auctor, neque verba faciam de earum significatione et pulchritudine neque materiae augendae causa de iis rebus, quae ab aliis enucleatae sunt, hoc loco disseram. Sed statuas ipsas, quae nobis servatae sunt, accuratius examinabo et quomodo componendae sint leges artis statuariae secutus demonstrabo. Qua in disquisitione nonnumquam rejiciendae erunt doctorum virorum sententiae, quae saepissime sagacissimis ratiunculis, non semper legibus pulchritudinis nituntur. Quamquam enim Bruno Meyer (p. 38) nullam esse metaphysicam pulchritudinis, quae quasi mundum artifici exstruat, sed ipsum artificis ingenium artem et normam pulchritudinis procreare existimat, tamen non paucas leges formositatis et artis statuariae exstare puto ab artificibus semper accurate observatas. Quas ut explicem et ab auctoribus Graecis rarissime neglectas esse ostendam, inprimis operam dabo. Etenim nullam Niobidarum compositionem, quae adhuc commendata est, probandam esse censeo, cum violata sint simplicissima artis praecepta. Maximo autem detrimento restitutioni signorum fuisse studium illud nunc laetissime in philologia florens investigandi et exquirendi, quo vinculo omnes inter sese cohaereant artes, paucis declarabo. Etenim ars ut natura in occulto res procreat et prohibet, quominus plane perspiciamus, qualis sit causarum nexus. Neque solum in naturam, sed etiam in artem Goethii illa quadrare existimo:

„Geheimnissvoll am lichten Tag
Lässt sich Natur des Schleiers nicht berauben,
Und was sie deinem Geist nicht offenbaren mag,
Das zwingst du ihr nicht ab mit Hebeln und mit Schrauben.“

Itaque tres primas paragraphos hujus disputationis excusetis, quae fortasse a disquisitione ipsa alienae esse videantur; sed ad tollendas difficultates, quae formosae signorum compositioni adhuc obstabant, necessariae sunt. Propria autem sententia, quam prolaturus sum, octo his continetur paragraphis:

§. 1. Omnia antiquitatis monumenta, quae re vera artificia appellanda sunt, magis ad futurum quam ad praeteritum animos nostros convertunt.

§. 2. Signa antiqua, quamquam sine accurata mythologiae et literarum scientia plane intellegi nequeunt, rarissime ita composita sunt, ut perspicere nobis liceat, quem scriptorem statuarum artifex sit secutus.

§. 3. Neque ullo modo declarari potest, Niobidarum statuas ab artifice Sophoclis fabulam imitato fictas esse.

§. 4. Quae cum a posterioribus artificibus profectae esse videantur neque dijudicari possit, num omnium auctoris Graeci signorum exemplaria nobis servata sint, leges artis statuariae et pulchritudinis plus valere ad signa apte componenda quam haec ipsa censeo.

§. 5. Statuarum complexio, quam Scopas aut Praxiteles finxit, nullas praeter Nioben ejusque liberos continuit. Neque Apollinem neque Dianam neque paedagogum neque nutricem artifex Graecus Niobidis inseruit.

§. 6. Ex quot liberis prima signorum complexio constiterit, dijudicare nobis non licet.

§. 7. Quamquam Welckeri conjectura, in frontispicio templi statuas collocatas fuisse, non levibus argumentis impugnari potest, tamen signa ita componenda esse apparet, ut et formam tympani reddant et ab utroque matris latere idem liberorum numerus adspiciatur et omnium vultu et habitu oculi nostri ad Nioben ipsam convertantur.

§. 8. Quas leges cum omnes, quae adhuc commendatae sunt, statuarum compositiones neglegant, novam proferre audeo conjecturam haud indignam, ut opinor, comprobatione doctorum virorum.

§. 1. Ad primam quidem thesem illustrandam haud scio an multis verbis non opus sit. Quippe res ipsa adeo in aperto est, ut quasi axioma demonstrationis vix indigeat. Etenim artificia, cum non ut viris doctis materiam scribendi praebeant, sed ut multitudinem delectent ejusque mores emendent ab auctoribus fingantur, talia certe esse oportet, qualia facillime intellegi et mente concipi possint. Quam legem cum omittat allegoria non plurimi habenda est. (Brunn I., p. 367.) Itaque ea artificia, quae ut perspiciantur longam et accuratam desiderant explicationem, ab officio artis aberrant. Rarissime autem statuas ita factas esse, ut ad praeteritum animos nostros convertant, quamquam omnibus fere, quae exstant, antiquitatis monumentis comprobare possum, nonnullis tantum exemplis ostendam. Neque luculentius rectam esse sententiam meam demonstrari posse puto, quam femina illa, quae Herse appellatur commemorata. (Overbeck I., taf. 44.) Optimo enim jure Friederichs (Prax. p. 79, Anm. 13) de hac statua judicavit: „Die Plastik bannt den flüchtigsten Moment, um den Beschauer zu zwingen, ihn fortzuspinnen in seiner Phantasie, so dass ihre Ruhe gleichsam in Fluss und Bewegung geräth. Dafür genüge es, an die liegende weibliche Figur vom Parthenon zu erinnern. Keine Secunde länger kann das Gewand den blühenden Busen bedecken, es ist ein Augenblick, dem man zurufen möchte „„Verweile doch, du bist so schön;"" aber weil ein so schwebender, gleichsam hängender Augenblick gewählt ist, darum müssen unsere Gedanken ihn fortsetzen; wir meinen das Gewand vor unsern Augen gleiten zu sehen." Nonne idem de Venere Melia (Overbeck II., taf. 91) dicendum est, quam veste delapsa nudam gratia venustateque ornatam adspicere

putamus? Neque Myronis discobolus (Overbeck I., taf. 33) omittendus videtur, „distortum et elaboratum signum," quem si spectamus certe non interrogamus, cur ita fictus sit, sed quomodo corpus tam distortum jacto disco extensurus sit; orbis volare, adolescens vultu et pedibus et toto membrorum habitu lapidem persequi videtur. Similiter adspicienti mihi signum Jovis Otricolensis (Overbeck I., taf. 37) semper accidebat, ut mihi proponere conarer, qualis foret hic vultus ira commotus, contractis superciliis, quibus cuncta movet. Multo autem magis signorum complexiones sententiam meam affirmant. Certe omnes, qui Laocoontem (Overbeck II., taf. 81) intuentur, non cur aut quomodo serpentibus circumplicatus sit intellegere cupient, sed mors necessaria et crudelissima ante oculos obversabitur. Luculentissime autem apparebit, rectam esse opinionem meam, si memineritis Zethi*) et Amphionis ac Dirces et tauri. (Overbeck II., taf. 82.)

Sed haec hactenus. Quae explicatio, quamquam fortasse supervacanea videtur, argumentis infra proferendis summo usui erit.

Etenim cum omnia judicia, quae de antiquitatis monumentis fiunt, multo magis τῇ ἐπαγωγῇ quam τῷ συλλογισμῷ demonstrari possint, secutus Aristotelem ἄμεσόν τι, quod sensibus percipi possit, invenire conatus sum, a quo profectus proximas theses facilius illustrare possem. Itaque hoc statim loco sententiam refutabo, quam Welcker (A. D. I., p. 278, 281, 283, 287) et Gerhard (Dr. V. p. 57) protulerunt et quam aliqua ex parte Stark (p. 334) refellit. Illi enim Nioben in porta regiae Thebanae stare pu-

*) Welcker (A. D. I., p. 357) optime de his signis: „Jetzt lassen sie den Stier los, mit Vorsicht zur Seite springend, er wirft sich herab auf seine Füsse, macht einen Satz und schleppt schleudernd die Last an den Hörnern davon. Es ist wie eine Mine, die im Losgehen begriffen ist: mit grösster Kunst ist die Gruppe wie gewaltsam in den Augenblick zusammengefasst, wo sie sich auf die regelloseste, wildeste Art entfalten soll."

tant, ex qua filiae, inprimis statua Musei Berolinensis, (Gerhard B. a. B. I., p. 82, Nr. 123) modo procedant. Quod neque ex signorum complexione apparet neque omnino ars statuaria permittit, ut accurate dijudicemus, quae fuerit artificis opinio de re levissima et vilissima. Etenim ad praesens et futurum tempus, non ad id, quod praeteriit, ars fingendi animum nostrum convertit; non licet suspicari, notam in signis esse, quam artifex non luculenter indicaverit; nos a signis discere debemus, non signa a nobis edoceri. Itaque cum Scopas aut Praxiteles nullo modo significarint, ad portam regiae Thebanae Niobidas interfici, non alio in loco rem agi putabimus, quam in quo veri simillimum sit. (cf. §. 3.)

§. 2. Omnibus in artificiis cujusvis generis, quae re vera hoc nomine digna sunt, duplex est conditio et significatio. Etenim ut homo et patriae, in qua natus est, et totius mundi incolam et civem sese arbitratur, ita artificia et ad populum, qui ea procreavit, et ad totum genus humanum pertinent; non unius patriae, sed totius orbis terrarum, non unius saeculi, sed omnium saeculorum proles artifex habendus est. Itaque quamquam signa antiqua arcto vinculo cohaerent cum mythologia Graeca, tamen animos nostros delectarent, etiamsi fabulas ipsas ignoraremus. Nonne Juppiter Otricolensis, Apollo Vaticanus, Venus Melia et Medicaea, Diana Versaliana, omnia fere, quae exstant antiquitatis monumenta, — ne ea commemorem, quae ad vitam humanam pertinent, — summa laetitia nos afficerent, etiamsi qualia essent numina nesciremus? Certe minimi faciunt artificia, quibus ad intellegentiam et oblectationem eorum accuratissima mythorum scientia necessaria videtur. Attamen non nego, magis nos laetari adspicientes statuas Graecas omnium rerum ad antiquitatem pertinentium peritos; sed talia esse artificia nego, ad qualia percipienda inprimis subtilissima religionis et literarum scientia opus sit. Itaque ii, qui adspicientes Niobidarum statuas inprimis investigandum esse censent, quem scriptorem ar-

tifex sit secutus, meo quidem judicio operum majestatem violant. Etenim ὕλῃ καὶ τρόποις μιμήσεως διαφέρουσιν ars poetica et ars fingendi. „Die Götter und geistigen Wesen, wie sie der Künstler vorstellt, sind nicht völlig eben dieselben, welche der Dichter braucht.“ (Lessing, Laocoon, St. 8.) Itaque hoc loco neque qualis fuerit Niobes mythus neque quomodo a poetis tractatus sit disseram; summa diligentia Stark quaecumque ad hanc rem pertinent contulit et explicavit. Sed uno exemplo ostendam, etiam doctissimos et sagacissimos viros nonnumquam errare, si operam dent, ut arctissimo vinculo omnes Graecorum artes contineri demonstrent. Leguntur enim apud Gerhardium (Dr. V. p. 57) haec verba: „Wie die Tragödie, und namentlich Sophokles, den Umfang der plastischen Darstellung bedingt haben mochte, so ist der Einfluss scenischen Vorganges auch auf die Einheit des Orts und auf die dazu erforderliche Vereinfachung der Handlung und ihrer Anlässe nicht zu verkennen.“ Certe statuarum artifex hoc loco a Gerhardio non pluris haberi videtur quam Theodoros grammaticus (cf. Brunn I., p. 573), qui picturas tabulae Iliacae adumbravit. Nonne si, ut Gerhard existimat, a Scopa Niobidae ficti sunt, ut in fastigio templi collocarentur, si non solum dramatica, sed etiam tragica, non epica aut lyrica, signorum complexio habetur, ridicula videtur sententia, artificem a poeta edoctum esse de „Einheit des Orts und die dazu erforderliche Vereinfachung der Handlung?“ Utinam sciam, quomodo artifex legibus artis statuariae non violatis hanc compositionem tragicam, in frontispicio templi collocatam fingere potuerit, ut intellegerent spectatores in diversis locis rem agi! Neque minus Welckeri (A. D. I., p. 235—238) sententia, ex cultu Apollinari et Gerhardii (Dr. V. p. 57) ex numero chori tragici quattuordecim liberos ab artifice fictos esse apparere, improbanda mihi videtur. (cf. §. 6.)

§. 3. Ex quo Spence (p. 96—99) Niobidarum statuas cum Ovidii (Metam. VI., 146—312) narratione com-

paravit et Fabroni hanc comparationem uberius explicavit, plerique, qui illo tempore scribebant, Ovidii descriptionem ad haec nostra signa pertinere putabant. Postquam autem anno 1823. Godofredi Hermanni „de Aeschyli Niobe dissertatio“ (opusc. III., p. 37—58) in lucem prodiit, Welcker (Gr. Tr. I., p. 286 sq.) Scopam aut Praxitelem Sophoclis fabulam secutum esse demonstrare conatus est; quam sententiam ut multis argumentis confirmaret Friederichs (Prax. p. 67—74) operam dedit.*) Attamen quamquam ipse neque Godofredi Hermanni opinioni, Sophoclis Nioben drama fuisse satyricum, adsentior neque meum esse censeo, hac de re copiosius disputare, non dijudicem, utrum Welcker an Friederichs fabulam Sophocleam ita exposuerint, ut omni ex parte probari possit. Etenim Diodori verba, quae Friederichs (p. 69) affert: „*Τούτων (Ἄρτεμις καὶ Ἀπόλλων) κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν κατατοξευσάντων τὰ τέκνα τῆς Νιόβης, συνέβη τὴν προειρημένην ὑφ' ἕνα καιρὸν ὀξέως ἅμα εὔτεκνον καὶ ἄτεκνον γενέσθαι,*“ mihi quidem Welckeri sententiam, filiorum cladem narratam esse a paedagogo, filias in scena ipsa interfectas, refutare non videntur, cum neque appareat, quis fuerit Diodori auctor, neque verba „*κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν . . . ὀξέως ἅμα . . .*“ uno temporis puncto liberos mortuos esse dicant. Quippe cum brevissima posset esse paedagogi narratio, quam statim filiarum nex secuta est, certe *κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν* liberos interiisse et *ὑφ' ἕνα καιρὸν ὀξέως ἅμα εὔτεκνον καὶ ἄτεκνον γενέσθαι* Nioben, Diodorus dicere poterat. Sed fortasse neque Welckeri neque Friederichsii sententia probanda est. Optimo enim jure Otfried Mueller (Gr. Lit. II., p. 60—61) proverbium illud „vom Erhabenen bis zum Lächerlichen ist nur ein Schritt“ in tragoedias Graecas

---

*) Feuerbachii (V. A. p. 393—395 et G. Pl. II. p. 139—140) conjectura, artificem Aeschyli tragoediam imitatum esse, (cf. Welcker A. D. I., p. 290, Anm. 46) iisdem argumentis, quibus Welckeri et Friederichsii, refutatur.

quadrare dicit, quem gradum anxie caverint tragici. Itaque, ne ridicula fiat fabula, rarissime in scena ipsa interfici personas. Etenim cum vestitu molestissimo scenici prohiberentur, quominus cum gratia venustateque procumberent, semper fere a nuntio de clade eorum certiores factos esse spectatores. Certe ne nostris quidem temporibus, quamquam longe progressa est ars scenica, quattuordecim actores mortem, cujus eadem et fortasse non adspectabilis fuit causa, ita simularent, ut risum tenere possent spectatores, praesertim si, ut Friederichsio placuit, postularetur, ut in linea recta jacerent omnia corpora. Neque una exstat fabula Graeca, quae septem, nedum quattuordecim, oculis spectatorum subjiciat morientes. Nonne fortasse Sophocles Homerum (Il. XXIV., 602—617) secutus est, apud quem *παῖδες ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο?* Etenim fragmentum Niobes Sophocleae, quod apud Plutarchum legitur, nullo modo comprobat, in diversis locis liberos interiisse. (cf. Welcker Gr. Tr. I., p. 290.)

Ad januam regiae Thebanae Niobe, Manto a scena progressa, civibus a Latonigenarum altaribus repulsis, divinis honoribus ipsi postulatis, remanet; chorus, quem ex feminis Thebanis constitisse veri simile est, superbam reginam commonefacit majestatis, iracundiae, invidiae (cf. Lehrs p. 35—66) Deorum; subito clamor liberorum ex aedibus personat; filia minima natu foras prorumpit, amplectitur genua matris, moritur; valvae patefiunt: jacent humi partim mortui partim moribundi liberi et inter eos fortasse Amphion, qui se gladio percussit; paedagogus et nutrix miserantur mortuos, matri, quae filiae minimae natu corpus placide prostravit, rem gestam exponunt. Niobe „*καὶ τὸ ζῆν ἐθέλει ἐκλιπεῖν διὰ τὸ μέγεθος τῆς συμφορᾶς καὶ τοὺς θεοὺς ἐπικαλεῖται ἀνάρπαστον αὐτὴν γενέσθαι πρὸς ἀπώλειαν τὴν χαλεπωτάτην*“ (cf. Friederichs Prax., p. 72); tonitrus auditur; „*ἔρχομαι, τί μ' αὔεις;*“*) gemit Niobe

---

*) cf. Hermann Aesch. I., p. 354, fragm. 173.

Mercurius conspicitur, qui placatos deos responsuros esse optatis „matris dolorosae"*) indicat; extremo cantico chori fabula finitur. Cui meae sententiae plurima addere possum (inprimis quae ad mortem Amphionis pertinent), sed et longum fore puto neque huic disquisitioni bene conventurum. Sed hoc unum non omittendum est, a Welckero, qui initium et finem fabulae tam praeclare exposuerit, hanc de liberorum interitu sententiam, quam improbandam censeo, prolatam esse, quod Ovidium „im Ganzen und in vielen Einzelheiten" Sophoclis fabulam imitatum esse putat. Attamen veri similius mihi videtur, Sophoclem Homerum, quam Ovidium Sophoclem secutum esse. Sed existimemus, Ovidii narrationem accurate e tragoedia Sophoclea haustam esse: quid obstat, quin liberos in scena ipsa mortuos esse putemus? Etenim hoc modo fabula exponi poterat. Ad januam . . . . subito clamor liberorum ex aedibus perso nat; obstupescit Niobe et chorus: accurrit paedagogus, occisos esse in palaestra ab Apolline filios nuntiat, in regiam portata esse corpora interfectorum, deplorari a sororibus; alter nuntius Amphionem „ferro per pectus adacto finiisse morientem pariter cum luce dolorem" narrat;

„Sed Niobe ad caelum liventia bracchia tollens,
Pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu:
Corque ferum satia, dixit. Per funera septem
Efferor. Exulta, victrixque inimica triumpha.
Cur autem victrix? miserae mihi plura supersunt,
Quam tibi felici. Post tot quoque funera vinco.
Dixerat, et sonuit contento nervus ab arcu."

Novus auditur filiarum clamor; minima natu foras prorumpit,

---

*) Feuerbach (G. Pl. II., p. 137): „Niobe ist die Mater dolorosa der alten Kunst." (cf. Overbeck II., p. 47, Anm. 70.) Guido Reni primus recentiorum artificum Niobes et unius filiae (7) capita imitatus est Mariam Jesu matrem dolorosam pingens. (cf. Kugler Gesch. Mal. II., p. 366)

„quam toto corpore mater,
Tota veste tegens unam minimamque relinque!
De multis minimam posco, clamavit, et unam.
Dumque rogat, pro qua rogat, occidit.“

Valvae patefiunt; circa toros fratrum jacent moribundae sorores et mortuus Amphion. Fabula eodem modo finitur, quo supra exposui.

Utra sententia probanda sit, ipse non dijudicem; illa et Homerum et Diodorum, haec Ovidium sequitur. Sed, ut jam supra dixi, non veri simile mihi videtur, tot personas sub spectatorum oculis esse occisos. Attamen multo facilius fabula ita, ut Welcker exposuit, agi poterat, cum et filias tantum in scena ipsa interfectas esse censeret neque postularet, ut omnes mortui in linea recta jacerent, sed puellas circum fratrum toros dispositas esse putaret. Si autem Friederichsii*) verba lego et rem ita in scena Attica repraesentatam esse persuadere mihi conor, necesse fuisse existimo, a chorago acclamari spectatoribus

„risum teneatis, amici!“

Fieri non potuit, quin, si quattuordecim actores eodem tempore in scena ipsa interirent, ridicula fieret fabulae majestas. Etenim ne unam quidem personam, si ullo modo vitare poterant, tragici poetae morientem oculis Atheniensium proponebant, cum haud ignorarent, summum instare periculum, ne irrideretur actor. Quae res viros doctissimos Welckerum et Friederichsium certe non effugisset, nisi operam dedissent, ut Scopam aut Praxitelem fabulam Sophocleam imitatum esse ostenderent. Sed nego, tam arcte tragoediam cum statuis Niobidarum cohaesisse. Certe

---

*) Prax. p. 72 & 73: „Die Söhne eilen heran, wie eine gescheuchte Heerde, in den Schutz des Hauses; ihr Angstruf dringt zu den Ohren der Mutter und Schwestern, diese eilen heraus mit fliegenden Gewändern in die Arme des Verderbens. . . . Auf der wenig tiefen Bühne des attischen Theaters mussten die Figuren sich neben einander gruppiren; die Mutter bildete wohl den Mittelpunkt der ganzen Reihe, die Kinder waren auf beide Seiten vertheilt.“

artifex ad fingenda illa signa fabula Sophoclis, quamquam jam ante eum plurimi poetae eandem rem tractaverant, incitari poterat, sed quatenus tragoediam secutus sit, ostendere nobis non licet. Etiamsi enim recta esset Friederichsii sententia, minimi certe existimandus esset artifex Niobidarum, si, quo modo componenda essent signa, tragoedia Sophoclea edoctus esse putaretur. „Auf der wenig tiefen Bühne des attischen Theaters mussten die Figuren sich nebeneinander gruppiren; die Mutter bildete wohl den Mittelpunkt der ganzen Reihe, die Kinder waren auf beide Seiten vertheilt. So wurde das Ganze sofort übersichtlich und fasslich; sollte der Plastiker sich diesen Vortheil haben entgehen lassen?“ (Friederichs Prax. p. 73.) Meo quidem judicio neque Scopas neque Praxiteles tam stulti fuerunt, quibus a poeta leges artis fingendi discendae essent.

Friederichsii conjecturam in fabula Sophoclea etiam filios in scena ipsa interfectos esse Stark (p. 46—47) gravissimis argumentis refutavit versum illum „*οὐδένα βοηθὸν ἄλλον οὐδὲ σύμμαχον,*“ ex Plutarchi*) verbis poetae tribuendum, non nisi in paedagogi narratione intellegi posse ratus. Neque omittendum est, ex basibus statuarum apparere, ab artifice non ad regiam Thebanam, sed in regione montuosa Niobidarum interitum fictum esse. (cf. Overbeck II., p. 46 et Stark p. 334.) Huc accedit, ut haud improbanda sit Welckeri (Gr. Tr. I., p. 296) sententia, in tragoedia Sophoclea a Mercurio certiores factos esse spectatores de exitu Niobes neque ex Eystathii**) verbis neque ex Sophoclis ratione componendi dramatis apparere, Tantalidis in Lydiam adventum et mutationem in saxum in scena ipsa repraesentata esse. (cf. Stark p. 44—45.)

---

*) Mor. p 760 D.: *τῶν μὲν γὰρ τοῦ Σοφοκλέους Νιοβιδῶν βαλλομένων καὶ θνησκόντων ἀνακαλεῖταί τις οὐδένα βοηθὸν ἄλλον οὐδὲ σύμμαχον ἢ τὸν ἐραστήν „ὦ ἀμφ' ἐμοῦ στεῖλαι.“*

**) II. p. 1367, 22: *Σοφοκλῆς δὲ τοὺς μὲν παῖδας αὐτῇ ἐν Θήβαις ἀπολέσθαι φησίν, αὐτὴν δὲ εἰς Λυδίαν ἐλθεῖν.*

Niobe autem Florentina tamquam sub oculis nostris in saxum vertitur; filia minima natu liberorum ultima moritur, qua leniter prostrata mater ipsa animam exhalat. Quamquam haud ignoro, ab omnibus poetis aliter narrari Tantalidis interitum, non una cum liberis in eodem loco Nioben apud scriptores diem obire supremum. Sed aliae sunt artis poeticae, aliae statuariae artis leges; poeta per annorum seriem, per omnes regiones, quocumque vult, lectorum animos rapere potest, non fictor. Huic per nonnulla tantum momenta neque ex hac in illam regionem phantasiam nostram ducere licet. Nihil enim signorum artifex a phantasia spectatorum petere debet, nisi quod ex statuis ipsis luculentissime apparet. Quis autem Nioben adspiciens conjiciat, eam liberis relictis per terras vagaturam esse et procul a patria interituram? Certe qui aliqua tantum ex parte leges artis fingendi norunt mihi adsentientur, ab auctore statuarum Nioben ita fictam esse, ut in hoc loco omnibus liberis occisis statim interitura putanda sit. (cf. §. 5.) Itaque quamquam optimo jure statuarum complexio ultimus tragoediae actus appellari potest, (cf. §. 7) tamen errare videntur, qui artificem poetam tam diligenter secutum esse existimant, ut signa ipsa tamquam iconica actorum habenda sint. Quam ob rem nullam demonstrationis vim opinioni illi inesse apparet, statuam paedagogi non rejiciendam esse, quod etiam apud Sophoclem paedagogus in scenam prodierit. (cf. §. 5.)

§. 4. Winckelmann (IX., 2, §. 26—30) Niobidarum statuas non solum varietate formarum inter se discrepare, sed etiam non semel iteratas esse haud ignorans dijudicare non ausus est, utrum eadem signorum complexio, quam Plinius commemorat, nobis servata esset, an imitatio a compluribus artificibus profecta. Similem sententiam Visconti (IV., p. 140, 3) et Raphael Mengs (II., p. 111, 117, 122) professi sunt; amissas esse statuas a Scopa aut Praxitele fictas: nobis nihil nisi multorum artificum exemplaria servata esse partim denuo pertractata partim recentiori

tempore orta. Paullo post Ramdohr (II., p. 137—147) nonnullas statuas ex signorum complexione secernendas esse demonstravit. Cujus sententiae, ex octo tantum liberis statuarum compositionem constitisse, etiam Levezow (p. 30) adsensus est. Uberius hanc materiam tractavit H. Meyer (St. 1, p. 49—91 et St. 2, p. 123—140), qui Nioben et filiam minimam, duas fugientes (6 & 7), maximam natu (11), paedagogum et filium minimum (12 & 13), Melpomenen, quae vulgo dicitur, (cf. Clarac pl. 583, no. 1259) ab ipso auctore Graeco, reliqua signa a posteriori artifice profecta esse censebat. Hirt (M. B. I., p. 32) nullam statuarum Florentinarum genuinam esse existimat praeter caput matris in Britannia servatum (cf. Welcker A. D. I., p. 223, A., 1—3) et filium illum, qui vulgo dicitur Ilioneus. Boettiger (p. 174—175) matrem tantum et duas filias a Praxitele, hunc enim signorum artificem fuisse censet, fictas esse putavit et tres apud veteres Niobidarum complexiones fuisse. Quam sententiam secutus Raoul-Rochette (p. 427) quinque Niobidarum consociationes exstitisse opinatus est. Suscepit disquisitionem de auctoritate statuarum Schlegel, qui nonnullas recentioris aevi esse demonstravit et hoc judicium de omnibus signis fecit (II., p. 25): „tous les morceaux, aussi bien que la collection complète, sont des copies de cet illustre original, dont parle Pline. C'est la seule grande composition en sculpture de la fable de Niobé dans l'ancienne Rome, dont nous ayons connaissance; et toutes les pièces relatives à la fable de Niobé se rapportent à la même composition.“ Sed ut antea numerus statuarum Florentinarum minuebatur, anno 1819. Zannoni (IV. Ser., II. vol. p. 87—94) Thorwaldsenis sententiam secutus puerum, qui vulgo Narcissus vocabatur, Niobidis inseruit. Paullo post Thiersch (p. 315, Anm. 30) filiarum numerum auxit, puellam, quae antea Procris appellabatur, huic, de qua agitur, signorum complexioni addendam esse ratus. Contra ea Wagner (no. 51—63) nonnullas statuas, quae antea rejiciebantur, non

improbandas, sed recipiendas esse censuit et praeterea nutricem Niobidis addendam; signa Florentina variis temporibus a posterioribus artificibus ficta esse (p. 211). Feuerbach (V. A. p. 251—253 et G. Pl. II., p. 135) haec a Scopa aut Praxitele ipso, illa a posteriori artifice profecta esse existimavit, simillima genuinis statuis Graecis. O. Mueller (Hndbch. §. 126, D. a. K. I., taf. 33 & 34, H. A. Z. p. 236—238) brevissime, quae statuae rejiciendae sibi viderentur, exposuit. Amplissime et sagacissime hanc materiam Welcker (A. D. I., p. 209—314) retractavit, qui primus quaecumque exstant exemplaria enumeravit. Cujus disquisitionis summa, quoad ad nostram disputationem attinet, haec est: omnes Niobidarum statuas ad eandem signorum complexionem spectare a Scopa aut Praxitele profectam; nullam praeterea apud veteres exstitisse Niobidarum consociationem; nonnullas statuas ab aliis artificibus iterum factas esse accuratissime imitatis archetypa Graeca. (cf. p. 222—223.) Burckhardtii (p. 504—508) sententia, non Scopae aut Praxitelis, sed artificis Romani opera nobis servata esse, infra copiosius explicabitur. Schnaase (II., p. 287—290) dijudicare non ausus est, utrum statuae Florentinae Scopae aut Praxiteli an posteriori artifici tribuendae essent. Gerhard (Dr. V. p. 52—53) aut omnes aut plerasque statuas ab artifice Romano profectas esse censuit. Eadem Friederichsii (Bst. p. 245) sententia est, qui praeterea duas filias rejecit, (Prax. p. 75—81 et Bst. p. 237—238) statuam Musei Berolinensis (cf. Gerhard A. Z. p. 305—307, taf. 19) et eam, quae apud Welckerum juxta hanc conspicitur (no. 11), antea a nullo nisi a Thierschio (p. 369, Anm. 66) refutatam. Easdem filias etiam Overbeck (II., p. 43) Niobidis non inserendas esse judicavit et omnes statuas non a Scopa aut Praxitele, sed a posteriori artifice fictas esse. Starkii disputationis summam (p. 312) ipsius auctoris verbis commemorare mihi liceat: „Es sind uns Glieder einer ausserordentlich oft und in grösserer und kleinerer Vollständig-

keit, mit sichtbaren Modificationen, mit mehr oder minderem Geschick wiederholten, aber auch nur in solchen Copieen erhaltenen Gruppe aufbewahrt, die wir allerdings alle Ursache haben mit jenem Werk der höchsten griechischen Kunst für identisch zu erklären. Es liegt durchaus in den erhaltenen Statuen kein innerer Grund vor, sie als aus verschiedenen Originalcompositionen entnommen zu denken." Quae cum ita sint, cum de nulla statua dijudicare nobis liceat, num ab ipso Scopa aut Praxitele profecta sit, omnis de Niobidarum compositione disquisitio fluctuabit. Etenim fortasse ne matrem quidem genuinam statuam Graecam esse Winckelmann (IX., 2, §. 27) jam intellexit, cum caput ejus gypso formatum Romae vidisset, cui indicia artis Praxiteleae inesse censuit. (cf. Welcker A. D. I., p. 223, 2 & p. 224, 4 et Stark p. 232—233.) Quantopere de singulis statuis inter sese discrepent doctorum virorum sententiae, cum longum sit, copiose exponere, uno exemplo ostendam. Ramdohr (p. 141) filium minimum natu, quem plerique (cf. Meyer p. 70) aut ab ipso auctore Graeco factum esse aut simillimum archetypo putabant, e Niobidis secernendum esse judicavit propter lineamenta lasciva et muliebria longe aliena a simplicitate et majestate reliquorum signorum. Facilius aliqua ex parte de origine singularum statuarum dijudicari posset, si exploratum esset, utrum e marmore Lunensi an Pario factae essent. Sed ne hac quidem de re decerni potest.*) Itaque postquam tot Niobidae in lucem prodierunt (cf. Stark §. 20 & 21) non audaciorem, quam quae probari possit, opinionem meam esse puto, nonnullas apud veteres praeterea exstitisse statuas, quarum exemplaria nobis non servata sint. Optimo enim jure Welcker (A. D. I., p. 222) totam signorum complexionem semper iteratam esse negavit. (cf. Friede-

*) cf. Plinius N. H. 36, 14: „nuper in Lunensium lapicidinis marmor repertum est candidius lychnita." (Thiersch p. 319, Anm. 31 & O. Müller Hndbch. §. 309, Anm. 1.)

richs Prax. p. 88, Anm. 18 & Bst. p. 243.) Nonne veri simile est, artifices eas potissimum statuas imitatos esse, quae et ipsis et populo optime placerent? (cf. Stark p. 317.) Nonne artifices Romani jussi aut ab imperatoribus aut a ditibus amatoribus has statuas saepius fingere, illas neglegere poterant? Quae conjectura ea re confirmari videtur, ut, cum omnia fere signa iterata exstent, filii secundi fugientis (3) nullum adhuc inventum sit alterum exemplar. (cf. Stark p. 242.) Tali modo arcto vinculo, quo complexionis Plinianae singulae figurae cohaerebant, soluto et imitatorum arbitrio et ex emtorum sententia et pro convenientia locorum, in quibus signa constituebantur, paullatim statuas mutatas esse veri simile est. Quippe cum, ut ait Goethe,*) omnia artificia una cum locis oriantur, pro quibus finguntur, alius statuae habitus esse debet, quae in complexione signorum collocatur, atque ejus, quae sola constituitur. Certe longum conjecturarum spatium hic patere videtur, quod explere non meum esse censeo. Sed cum nonnulla signa bis, ter, quater nobis servata sint, opinio mea discrepantia eorum comprobatur. Neque minus artifices Romani ut nonnullas statuas complexionis Graecae non imitabantur novas, quae ejusdem generis esse videbantur, picturis incitati, quas in amphoris, vasis, anaglyphis videbant, fingere poterant. Tali modo fortasse Cephalus et Procris (cf. Gerhard Dr. V. p. 58) et paedagogus orti sunt. Denique quis enumeret, quomodo fieri potuerit, ut haec signa omnino non fingerentur, illa saepissime, ut haec non plane habitum et vultum archetyporum exprimerent, sed paullo mutarentur, illa tum primo orirentur? Itaque cum nulla praeter Plinianam apud veteres scriptores legatur commemoratio, quae nos certiores faciat, qualis fuerit signorum compositio, quam Scopas aut Praxiteles finxit,

---

*) Schlegel II., p. 15: Un grand poëte, en même temps grand connaisseur des beaux-arts, me dit un jour: „Tout véritable ouvrage de l'art naît avec son cadre.“

statuas autem nobis servatas neque ab his profectas esse appareat neque ita dispositas, ut digna sit complexio artificibus Graecis, spero non fore ut vituperer, si paragrapho octava conjecturam proferam, quam apud neminem, qui hac de materia scripsit, adhuc legi. Etenim non meum esse censeo statuas componere, sed ita componere, ut digna fiat Scopa aut Praxitele complexio. (Friederichs Prax. p. 88.) Itaque leges artis statuariae potissimum sequar, quas illi certe accuratissime observarunt. Neque vereor, ne conjectura mea vesana non vituperetur, sperans fore, ut gravissimis argumentis eam confirmare possim. Etenim qua ratione artificia tractanda esse existimem, ex Welckeri verbis apparet, quae huic disputationi praeposui, et superbe profiteor, etiam mihi dedisse Apollinem „spiritum Grajae tenuem camenae.“

§. 5. Ex quo Azara in adnotationibus, quas editioni scriptorum Raphaelis Mengsii adjecit, (cf. Feuerbach V. A. p. 250) conjecturam protulit, sagittam Apollinis Vaticani fortasse imminere Niobidis, Hirt (Horen, Stück 10, p. 20 et M. B. I., p. 32) statuis Florentinis Apollinem Vaticanum inserendum esse censuit, cui sententiae Wagner (p. 231) aliique adsensi sunt. Quam ob causam etiam Diana Versaliana signorum complexioni addebatur, cum nonnulli putarent, statuas illas intellegi non posse nisi diis praesentibus. Sed ex quo Thiersch (p. 314, Anm. 30), Feuerbach (V. A. p. 250—271), Welcker (A. D. I., p. 255—259) gravissimis argumentis, quae augere nequeo, perversam illam sententiam refutarunt, nemo, quod sciam, praeter Friederichsium (Bst. p. 244) Apollinem et Dianam cum Niobidis conjungendos esse existimavit. Qui autem fieri potuerit, ut equus, discobolus, luctatores, astragalizousa (cf. Stark p. 247, 249, 259, 307) Niobidis adjicerentur, ego quidem intellegere nequeo. Certe fieri non potuit, ut spectatores re vera plane cognoscerent, quid sibi vellent hilares et tranquilli liberi juxta morientes, fugientes consanguineos, juxta matrem dolorosam, quae sub oculis no-

stris in saxum verti videatur. Irriderentur omnes artis fingendi leges, si pacem et bellum, vitam et mortem, gaudium et dolorem tam perverse commiscuisset artifex. (cf. Ramdohr II., p. 144—146.) Nonne putaremus, astragalizousam, discobolum, luctatores necem vitaturos esse? Sed longum est, de ridicula illa opinione copiosius disputare, quam Welcker (A. D. I., p. 248—253) optimo jure refellit. Neque sententiae meae obstat, quod in sarcophagis et picturis et operibus caelatis nonnumquam et Apollo et Diana et paedagogus et nutrix et astragalizousae et equi adspiciuntur. Recte enim Engelmann (p. 10) hac de re ita loquitur: „Id quod in philologia difficillimum est dijudicatu, cum quaeratur, duorum librorum inter se similium uter prior sit altero, uter ex altero defluxerit, multo majores tamen oriuntur difficultates, si archaeologis tales quaestiones discernendae sunt ea de causa, quod archaeologia nuper, ut ita dicam, reperta non ex omnibus partibus leges sibi invenit, quas philologi sibi jam paraverunt. Neque enim quod monumentum copiosius est etiam prius esse debet, saepe enim artifices cum spatium explendum esset figuras adjecerunt aliunde desumptas, quae prorsus alienae essent a proposito, quod imitarentur, neque rursus imago quod simplicior est, etiam prior dici potest, cum item saepissime acciderit, ut ex magna figurarum frequentia bene inter se compositarum paucas desumerent loco aptas.“ Neque omnino operum caelatorum leges easdem esse ac statuarum luculenter apparet; quod discrimen copiosius exposuit Feuerbach (V. A. p. 259—262 et G. Pl. I., p. 68—82). Itaque cum ab omnibus fere, qui de hac materia scripserunt, post Welckeri gloriosam disputationem et Apollo et Diana et equus et discobolus et luctatores et astragalizousae e Niobidis secernantur, hoc loco de iis non disserendum esse puto. Sed neque paedagogum neque nutricem a Scopa aut Praxitele Niobidarum compositioni insertos esse, paullo copiosius erit exponendum.

Ac primum quidem de paedagogo verba faciam. Qui

postquam in lucem prodiit (cf. Ramdohr II., p. 143) ab omnibus fere Amphion, Niobes maritus, habebatur atque Spencio*) a Juvenale commemoratus esse videbatur. Sed ex quo Winckelmann (IX., 2, §. 29) hoc signum paedagogum appellandum esse censuit, omnes hanc sententiam probarunt, donec prius nomen ei reddendum esse Fabroni (p. 10) judicavit. Ramdohr (II., p. 143) primus omnium hanc statuam Niobidis non inserendam esse, sed a posteriori artifice anaglypha imitato fictàm esse putavit. Eadem fuit Thierschii (p. 369, Anm. 66) opinio, qui paedagogum barbarum appellavit, „der zu dem Pferde gehört, das im Sprunge begriffen ist, und mit der Gruppe so wenig zu schaffen hat, als er.“ Cui judicio etiam Schlegel (p. 19) adsensus est. Sed postquam anno 1831. paedagogus cum filio minimo conjunctus Augustae Suessionum in lucem prodiit (cf. Raoul-Rochette pl. 79), nemo, quod sciam, dubitavit, quin illum reliquis signis adjiceret, nisi Feuerbach**) et Friederichs (Bst. p. 235). Primum argumentum, cur paedagogus libentissime ab omnibus recipiebatur, in eo positum est, quod tot filios quot filias a Scopa aut Praxitele fictos esse putabant. (cf. §. 6.) Itaque cum a dextra et a sinistra matris eundem figurarum numerum collocatum esse oporteat, id quod leges symmetriae postulant, liberorum autem numerus, filia minima natu cum matre conjuncta,

---

*) p. 96: „and Juvenal, in particular, introduces Amphion as seeing them, and addressing his prayers to them, to deprecate their wrath. Parce, precor, Paean; et tu, depone sagittas! Nil pueri faciunt; ipsam configite matrem! Amphion clamat, sed Paean contrahit arcum. (sat. 6.) There is a figure among those relating to this story, in the Villa Medici; which, in all probability, is meant for Amphion: and his attitude in it agrees exactly with this description of him by Juvenal.“ — In primo versu pro „et tu, depone“ „et tu, dea, pone“ scribendum esse, apparet.

**) V. A. p. 265: „Gegen Amme und Pädagogen wäre im Ganzen wenig zu erinnern.“ Quamquam haud ignoro, Feuerbachium aliis locis (V. A. p. 394 & G. Pl. II., p. 135) paedagogum Niobidis addendum esse censuisse.

impar sit, paedagogus quasi deus ex machina impedimenta sustulit. (cf. Welcker A. D. I., p. 277.) Huc accessit, ut omnibus, qui hac de materia scripserunt, valde probabilis videretur Thierschii (p. 314—319) sententia, praeter matrem et filiam minimam etiam binos liberos consociatos fuisse paribus spatiis a dextra et sinistra matris distantes. Quae quidem Thierschii sententia ea re confirmata est, quod symplegma illud Musei Vaticani antea Cephalus et Procris appellatum a Canovà Niobidis insertum est. (cf. Gerhard B. R. II., 2, p. 173, 40 et Wagner p. 221 et Braun p. 344.) Sed cum Thiersch (p. 371) octo filias, novem filios ab artifice Graeco fictos esse, paedagogum autem reliquis statuis non addendum putaret, iis, qui parem liberorum numerum fuisse censebant, alia signorum complexio quaerenda fuit, quae Cephalo et Procridi responderet. Itaque paedagogum cum filio minimo natu conjunctum Niobidis adjecerunt. Cum autem in paragrapho septima copiosius disputaturus sim, quomodo statuas disponendas esse existimem, hoc loco primum illud argumentum, cur receptus sit paedagogus, non refutabo. Alterum in eo positum est, quod Scopas aut Praxiteles fabulam Sophocleam aut Aeschyleam imitatus esse putatur.*) Itaque Stark (p. 334) non solum paedagogum, sed etiam nutricem Wagneri (p. 223) sententiae adsensus Niobidis „im Hinblick auf die Tragödie“ addidit. Sed optimo jure Welcker (A. D. I., p. 251—253) Wagneri conjecturam refutavit. Etenim ut nutrix recipi possit, aut impar liberorum numerus statuendus est aut leges symmetriae neglegendae. Itaque ne longus sim de paedagogo tantum verba faciam, praesertim cum iisdem argumentis, quibus hic refutatur, etiam

---

*) cf. Friederichs (Prax. p. 73): „bedenken wir, dass uns eine Person entgegentritt, die wenigstens in Vasenbildern auf ein dramatisches Vorbild uns hinzuweisen pflegt, ich meine den Pädagogen.“ Cujus rei exempla affert Welcker A. D. I., p. 251—253. cf. Feuerbach V. A. p. 394 „im Pädagogen haben wir den theilnehmenden Beschauer, den Chor, zu erkennen.“

nutrix refellatur. Quae quidem argumenta in legibus artis statuariae posita sunt.

Legitur apud Plinium (N. H. 36, 4, 8): „Par haesitatio est in templo Apollinis Sosiani Nioben cum liberis morientem Scopas an Praxiteles fecerit.“ Quae verba alii in „Nioben cum liberis morientibus,“ alii in „Niobae liberos morientes“ mutata esse volunt. Sed utraque emendatio improbanda mihi videtur, et optimo jure a Plinio „Nioben cum liberis morientem,“ id est „Nioben una cum liberis morientibus morientem,“ scriptum esse existimo. Etenim non omittendum est „Nioben cum liberis morientem,“ non „Nioben morientem cum liberis“ in mss. legi. Nonne etiam in lingua Germanica interesse aliquid inter „die mit ihren Kindern sterbende Niobe“ et „die sterbende Niobe mit ihren Kindern“ intellegimus? Altera emendatio, „Niobae liberos morientes,“ cum matrem ipsam non commemoret, certe refutanda est; fieri non potuit, ut Plinius figuram maxime praeclaram, reliquis longe praestantiorem silentio praeteriret. Prior autem correctio, „Nioben cum liberis morientibus,“ a librario facta esse videtur, qui timebat, ne verba „Nioben cum liberis morientem“ ita intellegerentur, ut mater tantum salvis liberis interire putaretur. Certe veri similius videtur, haec verba „Nioben cum liberis morientem“ in illa „Nioben cum liberis morientibus“ aut „Niobae liberos morientes“ mutata esse quam illa in haec. Sed cum meum non esse censeam, de auctoritate librorum manu scriptorum hoc loco disserere, argumentis confirmabo, nihil aliud nisi „Nioben cum liberis morientem“ a Plinio scriptum esse. Quibus argumentis Boettigeri (p. 174) verba: „man muss nicht morientibus verbessern wollen, indem die Vorstellung wirklich so gewesen sein kann, dass Niobe mit ihren Kindern starb,“ praemittenda esse existimo, quae certius dicta esse velim. Quippe non posse, sed debere omnium spectatorum opinionem fuisse, una cum liberis Nioben interire, mea sententia est. Etenim, ut in paragrapho tertia exposui, artis fingendi leges postulant, ut in hoc, quem specta-

mus, loco omnibus liberis interfectis mater ipsa statim in lapidem mutetur. Tota haec actio celerrime finitur; raptim liberi intereunt; filia minima prostrata Niobe ipsa moritur. Nonne igitur optimo jure Plinius „Nioben cum liberis morientem“ dicere poterat? Moritur sub oculis nostris mater; quin etiam infimam vestimenti partem jam in saxum mutari dicam. Eodem enim jure, quo liberos adhuc salvos morti succubituros esse pro certo habemus, matrem quoque morientem appellare non solum possumus, sed etiam debemus. Certe mirum videtur, a viris doctis cujusvis generis argumenta prolata esse, sed non gravissima et simplicissima, scilicet ea, quae posita sunt in legibus artis statuariae. Quae ne Welcker quidem, cujus verba huic disputationi praeposui, quamquam non, ut Overbeck et alii, Pliniana illa „Nioben cum liberis morientem“ in „Nioben cum liberis morientibus“ aut „Niobae liberos morientes“ mutavit, ad componendas statuas accurate adhibuit. Etenim paedagogum signorum complexioni inseri, leges artis fingendi non patiuntur. Quem a Plinio ipso non commemoratum esse, cum et ab hoc et a Pausania saepissime non omnes figurae ejusdem consociationis enumerentur, non magni momenti esse censeo. Sed omnes artis statuariae leges irriderentur, si Niobidis artifex paedagogum addidisset. Etenim duplex illius conditio esse potest: aut una cum Niobidis moritur aut salvus necem effugit. Ac primum quidem illam refutabo.

Poena, quae ab Apolline et Diana, ut majestatem Latonae violatam ulciscantur, de liberis Tantalidis petitur, Niobae ipsi parcit; haec a Jove precibus impetrat, ut una cum liberis morti succumbat. Qui igitur fieri potuerit, ut etiam paedagogus, qui neque ipse Latonam violaverat neque adeo a Nioba diligebatur, ut morte ejus Tantalis puniretur, ab Apolline interficeretur, non intellego. Certe poena a diis familiae Niobes immissa profanaretur, si paedagogus quoque una cum Niobidis morti succumberet; nullam aliam personam praeter Nioben ejusque liberos hu-

jus interitus participem fuisse oportet. Quod cum bene intellegeret Fabroni (p. 10) paedagogo Amphionis nomen indidit. Quam sententiam ii potissimum sequi debebant, qui artificem fabulam Sophocleam imitatum esse existimant, Welckeri (Gr. Tr. I., p. 289) verbis adsensi „das Auftreten des Amphion war unentbehrlich zur Vollständigkeit einer dramatischen Darstellung, die den Untergang der ganzen blühenden Familie umfasste.“ Illa autem statua, quae nunc paedagogus vocatur, Amphionis esse non putari potest, in quam re vera Shakespearii illud „ein geflickter Lumpenkönig“ quadraret. „Pense-t-on, que l'artiste aurait représenté un roi héroïque d'une manière aussi ignoble? La tête barbare, qu'on lui a faite, est en effet moderne; mais ses vêtements grossiers, ses proportions lourdes sont antiques.“ (Schlegel II., p. 19.)*) Certe rex, Niobes maritus, tot liberorum pater, tam miserabilis ab artifice fingi non potuit. Eadem majestate, qua uxor, et magnitudine esse debebat. Neque si paedagogus Amphion re vera appellandus est illum, qui nunc ei tribuitur, locum obtinere poterat. Iuxta Nioben collocatus medium frontispicium cum ea explere debebat ab utraque parte sex liberis dispositis. Etenim cum Apollodoro et Hygino auctoribus (cf. Stark p. 84 & 88) etiam Amphion ab Apolline interficeretur, artifex, cum nesciamus, quem scriptorem sit secutus, regem quoque signorum complexioni inserere potuit.**) Sed hunc, qui nobis servatus est, virum a Scopa aut Praxi-

---

*) Idem fere judicium Raoul-Rochette (p. 427) de statua Augustis Suessionum inventa fecit: „Le marbre, qui est grec, à ce qu'on assure, et la sculpture, qui est d'un travail lourd et d'une exécution grossière, tels qu'on les voit à certains ouvrages grecs du Bas-Empire, prouvent en effet que ce doit être là un de ces monumens de la dernière période de l'art antique, exécutés dans les ateliers de la Grèce, qui ce transportaient sur tous les points de l'empire suivant le besoin qu'on en avait pour quelque décoration monumentale.“ (cf. Visconti IV., p. 146).

**) cf. Wagner (p. 224). „Ob mit unserer Gruppe einst auch die Bildsäule des Amphion verbunden gewesen, lässt sich meiner Meinung nach ebenso wenig erweisen, als durchaus verneinen.“

tele fictum esse nego. Si quis etiam Amphionem Niobidis addendum esse existimat, regis statuam eadem majestate et magnitudine ac reginae ab artifice formatam amissam esse credat, cujus pravum exemplar hoc paedagogi signum sit. Starkii (p. 311) argumenta, quae hanc conjecturam refutare videntur, levissima sunt neque probanda. Etenim de signis paedagogi, cum et mutilissima et recentioris aevi sint, quidquid vis conjicere licet. Statuam Romae inventam non ab eodem artifice, qui reliquas fecerit Florentinas, fictam esse, Winckelmann (IX., 2, §. 29) censet. Similis est Burckhardtii (p. 506) conjectura, a Scopa in uno fastigio Nioben cum liberis collocatam fuisse; a posteriori artifice Romano paedagogum fictum esse et Niobidas in duobus frontispiciis dispositos, ut mater medium unius, paedagogus medium alterius tympani obtineret. Iis autem, qui paedagogum pravum exemplar Amphionis deperditi esse putant, statuae ita componendae erunt: Niobe cum filia minima et Amphion cum puero minimo medium frontispicium explent ab utroque latere sex liberis dispositis. Sic enim signorum complexio construeretur, quae Scopa aut Praxitele digna esset, quamvis matris majestas tali compositione valde minueretur.

Sed redeo ad sententiam eorum, qui hoc, de quo agitur, signum paedagogi esse arbitrantur. Qui, cum non una cum Niobidis diem supremum obierit, his interfectis salvus domum rediisse putatur! Certe qui has statuas adspiciens aliam habere potest sententiam, quam omnes interfectum iri, leges artis statuariae non plane memoria tenere videtur. Attamen etiam Gerhard (Dr. V. p. 54, Anm. 90) haec verba fecit: „Nach einer andern Sage, der die uns erhaltene Gruppe nicht widerspricht, blieb die jüngste der Töchter, Chloris, am Leben.“*) „Doleas hic, ut alibi non

*) Similiter Feuerbach (G. Pl. II., p. 139) „Noch ist Hoffnung vorhanden, dass diese Tochter glücklich entrinnt, dass jener Sohn die Bedrängte rettet, und das jüngste Kind scheint im Schoosse der Mutter sicher geborgen.“

semel, obrutum doctrinae copia judicium viri praestantissimi." (cf. Hermann Aesch. II., p. 167.) Etenim quicumque aliqua tantum ex parte leges artis statuariae norunt neque doctrinae copia occaecati sunt Gerhardii sententiam improbabunt. Fieri non potuit, ut artifex signorum unam personam mortem vitaturam esse putaret. Eodem enim jure, quo filiam minimam Niobes necem effugisse existimare liceret, etiam Laocoontis filium majorem adhuc salvum servatum esse arbitraremus, aut Dircae ab Amphione et Zetho parsum esse libertatemque redditam, aut Myronis discobolum lapidem non jacturum esse. Itaque, cum jam saepius hac in disputatione breviter attigerim leges artis statuariae, unam gravissimamque paucis hic exponere mihi liceat. Si mathematicus lineam rectam scribit, quam infinitam esse censet, propter angustum chartae spatium partem tantum lineae nobis demonstrare potest. Quicumque autem parvam illam lineam adspiciunt eodem recto cursu non curvato in infinitum porrigi existimabunt, cum nulla re indicetur, fore, ut subito inflectatur linea recta. Certe optimo jure vituperaretur mathematicus, qui, quamvis, quid vellet, non luculenter ostenderet, a nobis posceret, ut lineam rectam subito curvari putaremus. Similis est artis statuariae conditio. Quae, quamquam unum tantum momentum fingere potest, tamen, ut paragrapho prima exposui, oculos nostros ad futura saepissime convertit. Sed, ut ita dicam, recta regione cogitationes nostras porro ducere debet, in ipsis artificiis significationem esse oportet, quid sit secuturum; in hoc uno momento, in quo fictor personas oculis nostris proponit, reliqua inesse necesse est. Itaque gravissimam artis statuariae legem violasset fictor, si paedagogum salvum abiisse voluisset. Eodem enim jure, quo paedagogum signorum complexioni a Scopa aut Praxitele additum esse censes, etiam luctatores, equum, discobolum, astragalizousas Niobidis insertos fuisse existimare licet, quae sententia gravissimis argumentis refutata esse mihi videtur. Itaque paedagogus cum, ut supra demonstravi,

neque una cum Niobidis interfectus esse neque his occisis salvus abiisse putari possit, cum signorum consociatione non conjungendus est. Neque improbanda videtur Wagneri (p. 223) sententia, nutricem statuis addendam esse, cum leges symmetriae postulent, ut paedagogo nutrix, non filius respondeat. Sed recte intellegatis, quid velim; nutricem Niobidis inserendam esse jam antea negavi, symmetriae autem leges non pati censeo, ut paedagogo filius opponatur, quamvis Wagneri (p. 229—230) opinionem, filias filiabus, filiis filios, jacentes jacentibus, procumbentibus procumbentes respondisse non rectam esse arbitrer. Quippe tam arcte leges artis statuariae non sunt definiendae.

Quis autem putet, formosissimis Niobidarum signis ab artifice Graeco paedagogum insertum esse deformem? Contaminaretur totius compositionis pulchritudo et majestas, si illius adspiceretur vultus, „mit unverkennbarer Ironie zur Gemeinheit karrikirt.“ (Feuerbach V. A. p. 394.) „Ueber allem Schmerz schwebt die Schönheit wie ein Stern über wildem Meer“ (Friederichs Prax. p. 73): nonne turpis paedagogi figura quasi nubes caliginosa obscuraret stellam formositatis? Certe pluris artem Scopae et Praxitelis existimo, quam quae omnes pulchritudinis leges violasse a me putetur. Itaque si duodecim invenirentur paedagogi, non mutarem sententiam meam, a posteriori artifice signa illa facta esse longe aliena a statuis auctoris Graeci.

De conjectura Braunii (p. 502 et Gerhardii A. Z. p. 158) in duobus frontispiciis collocata fuisse Niobidarum signa Welcker (A. D. I., p. 267, Anm.) breviter disseruit. Si veri simile esset, in uno frontispicio Nioben cum filiabus constitutam fuisse, in altero paedagogum cum filiis, quae jam supra dixi etiam in hanc dispositionem quadrarent: non paedagogus, sed Amphion cum pueris consociandus fuisset et statua, quae nunc paedagogus appellatur, pravum exemplar signi amissi, quod Amphionis erat, putanda esset.

§. 6. De liberorum numero valde inter se discrepant

archaeologorum sententiae. Qua in disquisitione inprimis respiciendae sunt amplae disputationes Welckeri (A. D. I., p. 216 – 218 & p. 235—238) et Starkii (p. 26—97). Itaque consilium, quod jam initio hujus dissertationis commemoravi, secutus ea, quae ab aliis recte prolata sunt, non iterum enumerabo. Quam ob causam epigrammata veterum poetarum, scriptorum indicia, sarcophagos, opera caelata hoc loco omitto et statim ad disquisitionem ipsam aggredior.

Cockerell ex sex filiis totidemque puellis signorum complexionem constitisse putavit. (cf. Schlegel II., p. 3—29.) Quam sententiam jam Zannoni (I., p. 1—32 & II., p. 87 – 94) optimo jure refutavit. Thiersch (p. 371) ex octo filiabus, novem filiis antiquam signorum compositionem constitisse existimat. Ramdohr (II., p. 146) et Levezow (p. 30) octo tantum liberos ab artifice fictos esse censebant, Meyer quinque filias et sex filios, Wagner sex filias et decem filios. Sed ex quo Welcker ex quattuordecim liberis complexionem compositam fuisse ostendit, omnes fere hanc sententiam secuti sunt. Gerhard (Dr. V. p. 57) etiam hanc ob causam Welckeri opinionem probandam esse censet, quod chorus tragoediae Graecae ex quattuordecim personis constiterit. Itaque illorum virorum auctoritati nemo, quod sciam, resistere ausus est, nisi Friederichs (Prax. p. 74 et Bst. p. 244), qui a nobis demonstrari non posse existimat, quot liberi ab artifice ficti sint. Quam Friederichsii sententiam etiam Gerlach (p. 57) secutus est. Etenim Welckeri argumenta ex cultu Apollinari deprompta certe probanda essent, nisi leges artis statuariae plus valerent quam „hieratische Beziehungen.“ „Tout véritable ouvrage de l'art naît avec son cadre.“ Itaque optimo jure Friederichs Welckeri argumenta refutat Praxitelem commonefaciens, qui Thebis in frontispicio templi (aut, ut Overbeckio I., p. 226, Anm. 24 placet, in metopis) non duodecim, sed undecim Herculis certamina finxerat. Neque certum esse mihi videtur, tot filios, quot filias ab artifice fictos esse. Etenim cum filia minima natu tam arcte

cum matre conjuncta sit, ut quasi pars illius adspici possit, multo magis leges symmetriae postulare videntur, ut impar fuerit sororum et fratrum numerus. Huc accedit, ut Welckeri conjectura, filiam moribundam respondisse fratri interfecto, improbanda videatur. (cf. §. 8.) Quid si tredecim liberos ab artifice factos esse putamus? (cf. Braun p. 502.) Etenim cum, ut supra exposui, una cum liberis interituram esse matrem existimare debeamus, quattuordecim figurae morti succumbentes adspiciuntur, qui numerus Apollini sacer erat. Neque omittendum est, Welckeri sententiam duabus niti conjecturis, quas refutandas esse existimo: respondisse filiam jacentem fratri moribundo et inserendum esse signis paedagogum. Quo rejecto aut impar liberorum numerus statuendus est aut conjecturis difficultas expedienda. Itaque cum jam supra breviter commemoraverim, qua conditione recipi posset statua, qui dicitur paedagogus, alteram hoc loco proferam conjecturam, qua probata par liberorum numerus agnosci potest. Winckelmann (IX., 2, §. 30) in opere caelato Nioben cum duobus liberis conjunctam vidit; Welcker (A. D. I., p. 271) sarcophagum commemorat, in quo Niobe conspiciatur, quae filiam minimam natu amplectatur, dum filius quoque minimus matris gremio ut tegatur operam det. (cf. Stark taf. II. & XIX.) Nonne fortasse etiam a Scopa aut Praxitele mater cum duobus liberis ficta est? Certe si Feuerbachii (G. Pl. II., p. 139) verba probantur: „Für keins ihrer Kinder ist diese Mutter mehr vorhanden, wie keins der Kinder mehr für sie; ihr Schirmen des jüngsten ist nur bewusstlose Nöthigung der Natur, sie selbst mit ihrem emporgerichteten Haupte die schweigende, versteinte Niobe des Aeschylos, die durchgeführte, tragische Maske,“ haud inepta conjectura mea videbitur, filium minimum natu juxta matrem in sinistro latere collocandum esse. Suae tantum salutis rationem habens sororem dextera manu removere a matris gremio conatur: lineamentum puerilis ingenuitatis haud male conveniens tragoediae, quae in familia Nio-

bes agitur. Attamen utramque conjecturam non talem esse intellego, qualis omni ex parte probari possit. Quibus omissis imparem fuisse liberorum numerum putabimus nullas alias leges artificem secutum esse rati nisi leges artis statuariae et conditiones frontispicii.

§. 7. Qui primus Niobidarum statuas Romae inventas componere conatus est, Perrier liberos collocandos esse censuit „en cercle autour de la mère.“ (cf. Schlegel II., p. 4.) Quam opinionem jam Spence (p. 96—99) refutandam esse existimavit veri similius esse ratus in linea recta constitisse signa. Winckelmann quaestionem de compositione statuarum non tractavit. Ramdohr (II., p. 146—147) secundum parietem statuas ita collocandas esse existimat, ut non in linea recta consistant, sed hae promoveantur, illae retro stent. Quam compositionem etiam Levezow (p. 31) probavit: neque in una basi signa statuenda esse, neque dramaticam, sed multo magis socialem esse complexionem. Aliam sententiam Meyer (p. 87—91) professus est: statuas Florentinas numquam ad unam compositionem consociatas fuisse, sed singulas secundum parietem aut in zotheculis templi semirotundi constitisse. Tum anno 1816. Cockerell statuas Florentinas in frontispicio templi collocandas esse demonstravit; cujus disputationem Schlegel eodem anno in linguam Gallicam vertit adnotationibusque auxit. Eandem sententiam anno 1817. Welcker (A. D. I., p. 212) professus est gravioribusque argumentis firmavit. Contra ea Wagner (p. 225 sq.) non in frontispicio, sed in propatulo templi statuas ita compositas fuisse demonstrare temptavit, ut in semicirculo nonnullis promotis starent. Quam conjecturam eo potissimum firmari arbitratur, quod etiam Apollo et Diana cum Niobidis conjungendi sint. (p. 231 sq.) Attamen non ut Levezow socialem, sed dramaticam complexionem esse dicit. Thiersch (p. 368, Anm. 66) dijudicare non ausus est, utrum in semicirculo an in linea recta componenda essent signa; Welckeri sententiam improbavit, sed ab utraque matris cum filia minima

conjunctae parte octo liberos collocandos esse censuit. Feuerbach (G. Pl. II., p. 136) veri simillimam esse Cockerellii conjecturam existimavit; totam signorum complexionem, cujus mediam partem Niobe obtineret, a fronte adspiciendam esse. Quam sententiam etiam Kapp (p. 125—132) secutus est; improbandam esse conjecturam Cockerellii et Welckeri, sed statuas ita componendas, ut triangulum formarent. Otfried Müller (H. A. Z. p. 236—238) quomodo signa collocanda sint, dijudicari non posse existimat. Iterum Welcker anno 1836. difficillimam disquisitionem suscepit, ut Wagneri opinionem refutaret. Ex quo omnes fere in frontispicio Niobidas constituendos esse putarunt, donec Friederichs anno 1855. ex magnitudine signorum (Prax. p. 67—104) demonstrare conatus est, non in frontispicio, sed in cella templi statuas collocatas fuisse. Cui conjecturae Bursian (N. J. p. 107) adsensus est, in pronao signa stetisse ratus. Overbeck (II., p. 42—49) Friederichsii sententiam improbavit et Welckerum secutus est.

Omnium autem amplissime Stark hanc quaestionem tractavit. Primum paragrapho quinta decima verba „in templo Apollinis Sosiani" non ita intellegenda esse ostendit, ut Plinius in frontispicio templi Apollinis dixisse putetur. Deinde non Seleucia, quae est in Syria, sed Seleucia, quae est in Cilicia ad Calycadnum sita, Niobidas Romam translatos esse demonstrat. Tum paragrapho vicesima secunda propriam sententiam de compositione statuarum profitetur: in intercolumniis porticus collocatas fuisse eas existimat sive in uno latere sive in tota undique porticu dispositas. Qua de Starkii opinione breviter disseruerunt Ernestus Curtius (p. 29—40) et Bursian (L. C., I., p. 15—18). Aliqua ex parte Bruno Meyer et Friederichs (Bst. p. 241) Starkii sententiam refutarunt.

Quae cum ita sint, cum tantopere inter se discrepent doctorum virorum sententiae, irritum esse videatur, novam proferre conjecturam, praesertim cum statuas Florentinas adspicere nondum mihi licuerit. Attamen audacter quae

per triennium animo volvi profitebor, non ut vere, sed ut sincere dijudicem, a me postulari posse ratus.

Proficiscatur disquisitio ab egregia illa Feuerbachii (G. Pl. I., p. 68—92) disputatione, in qua de varietate compositionum agitur. Singulas statuas saepissime epicas, raro lyricas, numquam dramaticas esse. Alias esse conditiones complexionum signorum, quae et epicae et lyricae et dramaticae esse possint. Cum autem nemo Niobidas generi lyrico attribuat, hoc omisso reliqua consideremus. Ut in historia literaria omnium populorum poesin epicam dramaticae antecedere videmus, ita etiam statuariam artem prius illam quam hanc sequi animadvertimus. Difficillimum autem videtur judicatu, quae signa generi epico, quae dramatico attribuenda sint. Quippe si originem horum vocabulorum respicimus, si in verbo dramatici nullam aliam notionem inesse putamus, quam quae verbo nativo (*δρᾶν*) significetur, omnes fere signorum complexiones generi dramatico adscribere nobis licet. Itaque illam, quae non ex verbo nativo intellegitur, notionem paucis hic explicabo. Quamquam in primis Graecorum fabulis actio gravissima erat dramatis pars, tamen paullatim actio ita mutabatur, ut quae antea externa, ut ita dicam, erat, interna fieret. Etenim bene intellexerunt Graeci, non esse poetae scenici carmina epica ita „in actus deducere," ut nihil fere nisi forma narrationis mutaretur, sed animi motus, rerum gestarum causas accuratissime explicare. Itaque hoc potissimum discrimen inter poesin epicam et dramaticam esse videtur, ut illa vitam externam, haec internam pertractet (cf. Mueller Gr. Lit. II., p. 23—24 & p. 60); psychologiam popularem appellem poesin dramaticam. Quod discrimen cum accuratissime servaret Eyripides, cum omnium poetarum Graecorum diligentissime animos personarum describeret, ut spectatores jam initio fabulae intellegere possent, qualis foret exitus, ab Aristotele *τραγικώτατος* appellatus est. (cf. Lessing H. D. 49. Stück, Stahr A. P. p. 60 & p. 115, Mueller Gr. Lit. II., p. 159.) Itaque illas statuarum com-

plexiones, quae animi motus et libidines exprimant, dramaticas nominandas esse censeo. Quas qui fingere vult, diligentissime legem observare debet, quam Schiller his verbis declaravit: „Es ist der Geist, der sich den Körper baut.“ Etenim non solum vultus, sed totius corporis habitus et vestitus, quales sint animi motus, ostendere debent. Itaque non dijudicem, num probanda sit Feuerbachii sententia, singulas statuas numquam esse dramaticas; mihi quidem quodcumque Niobidarum signum tragicum appellari posse videtur. Quis neget, statuam Athamantis poenitentis tragicam nominandam esse? (cf. Brunn I., p. 464, Overbeck II., p. 161.) Certe si illa, quam professus sum, definitio verbi dramatici probatur, nulla signorum complexio dramatica appellari posse videtur, nisi singulas statuas ita significare licet. Si autem omnia Myronis, Phidiae, Polycleti opera respexeris, nulla eorum dramatica vocanda esse judicabis. Atque optimo jure Friederichs (Prax. p. 92) minutum iri auctoritatem statuarum Parthenonis, si capita pulcherrimorum corporum nobis servata essent, existimat. Etenim illo tempore, quo ars statuaria poesin epicam sequebatur, non, ut postea, artifices operam dabant, ut animi motus exprimerent. Quos quidem Scopas primus omnium fingere conatus est, tragicorum fabulas imitatus. Itaque ab illo tempore complexiones signorum factae sunt, quas dramaticas appellamus; quod genus statuarum artifices Rhodii praecipue coluerunt. (cf. Welcker A. D. I., p. 374.)

Niobidarum autem compositionem praestantissimam omnium complexionum dramaticarum esse, nemo fere negavit; qua de re Schlegel,*) Welcker, Feuerbach, Gerhard, Friederichs, Overbeck copiose disputarunt. Itaque nulla de hac materia verba faciam, sed Niobidarum compositionem ultimum tragoediae actum appellandum esse ratus pau-

---

*) cf. p. 15: „c'est une tragédie. Les enfants sont enveloppés dans une catastrophe commune; mais quelque pitié qu'ils puissent inspirer, l'intérêt principal se concentre sur la mère.“

cis ostendam, quas leges Scopas aut Praxiteles sequi debuerit.

„Ein Hauptgrundsatz der dramatischen Gruppe aber war, die Hauptperson als solche schon dem ersten flüchtigen Ueberblicke erkennbar zu machen. Es war dies das einzige Mittel, die Gruppe äusserlich schon als einen von Einem Punkte ausgehenden lebendigen Organismus darzustellen. Die tragische Bühne befolgte dasselbe Prinzip, und gab der ersten Rolle, dem Protagonisten, den höchsten Kothurn und die durch den Onkos erhöhte Maske.“ (Feuerbach G. Pl. I., p. 72; cf. Schorn p. 294, Vischer III., p. 451.) Quam legem Niobidarum artifex diligenter servavit. Alteram autem legem, ab utraque parte oculos nostros liberorum vultu et habitu ad matrem convertendos esse, artifex, si Welckeri compositionem probamus, neglexisse videtur. Quamquam enim a dextera liberi ad matrem confugiunt, ii, qui in sinistro latere collocati sunt, a matre profugiunt. Hoc loco luculenter apparet, quale sit discrimen inter complexiones epicas et dramaticas. Etenim si compositiones in frontispiciis Parthenonis contemplaris, non improbabis Friederichsii (Prax. p. 83) verba: „der Streit in der Mitte verliert sich so allmälig in die Ruhe, als verlaufe eine hohe Welle des Meeres in ein stilles Flussbett.“ Alia est conditio complexionis dramaticae; ab utraque parte oculos nostros ad mediam converti oportet; media complexionis pars totius actionis finis videri debet. Itaque non ut in compositione epica alta maris unda, — ut Friederichsii utar metaphora, — in tranquillum alveum elabi, sed ab utraque parte turbulenta maris unda eadem vehementia ad mediam partem quasi ad saxum prominens jactari debet. „Von Kampf und Streit, wie am Aeginetentempel und westlichen Parthenongiebel ist hier nicht die Rede; hier muss sich um den Protagonisten Alles concentriren.“ (Friederichs Prax. p. 80.) Quamobrem in compositione dramatica nulla figura ita collocanda est, ut a media discedat. (cf. Stark p. 322.) Quae lex ad Niobidarum com-

positionem accommodata certiores nos facit, unde deorum sagittae conjici putandae sint. Neque ulla hac de re inter viros doctos discrepantia est: omnes ab utroque latere tela mitti censent, ut appareat Niobidas mortem effugere non posse. Etenim deos, si re vera, ut Wagnero et Friederichsio placuit, ab artifice ficti essent, non aliter atque in sarcophagis et vasis (cf. Stark taf. II., III., IV., IX., XIX.) conspiciantur collocari potuisse, inter omnes constat. Statuarum autem artificem, cum deos complexioni non addiderit, signa ita composuisse, ut dii adesse viderentur, necesse est. Itaque a dextra et a sinistra liberos ad matrem confugere oportet, ut intellegamus, unde mors immineat. Alia est Gerhardii (A. Z. p. 306) sententia, quam ipsis auctoris verbis statim commemorabo, praemissa nota, latus dexterum a Gerhardio sinistrum, sinistrum dexterum appellari. „Die linke Seite des vormaligen Ganzen scheint diejenige gewesen zu sein, die von den tödtlichen Göttergeschossen unmittelbar bedroht war und in den dargestellten Figuren demnach den überwiegenden Ausdruck von Todesschmerz, Flucht und Verzweiflung enthielt, während auf der entgegengesetzten Seite, rechts vom Beschauer, bei grösserer Entfernung vom Schauplatz des Todes, Andeutungen eines gefassten, zum Theil fürsorgenden, Schmerzes stattfanden, . . . und mochte der verschiedene Charakter beider Seiten gleich von den Nachbarfiguren der Niobe an sich bemerklich machen.“ Quam sententiam si probamus numquam dijudicari posse apparet, ubi singulae statuae collocandae sint. (cf. Friederichs Bst. p. 244.) Atque natura et vis complexionis dramaticae plane dissolveretur, si in sinistro latere plerique liberi a matre profugerent. Quae Gerhardii sententia eo magis rejicienda est, quod matrem in porta regiae Thebanae stare existimat, ad quam liberi confugiant; figurae autem, quas Gerhard in sinistro latere collocavit, praeter paedagogum et filium minimum non ad regiam, sed ex regia festinarent. Neque intellegi possunt vultus statuae Musei Berolinensis (10),

paedagogi, filii minimi, filii genu nixi (14), si a dextera tantum sagittae conjici putantur. Certe ab utraque parte imminere mortem Niobidis necesse est; unde apparet, filiam curvato corpore incedentem (cf. Gerhard Dr. V. taf. III., 1, p.) non in sinistro, sed in dextro latere collocandam esse.

Alia deinde hoc loco tractanda est quaestio. Ex quo enim Thiersch (p. 315) Cephalum et Procridem Niobidis inserendos esse censuit, quicumque hac de materia scripserunt illam sententiam secuti sunt, quae et fragmentis fabulae Sophocleae et sarcophagis vasisque comprobari videtur. His autem argumentis nullam inesse demonstrationis vim jam supra commemoravi. Neque Thierschii (p. 317) opinio, artificem compositionis nostrae, cum post Phidiam fuerit, non signa templi Aeginensis, sed Parthenonis imitatum esse et minores complexiones majori inseruisse, omni ex parte probanda videtur. Etenim id quod compositioni epicae licet non aeque dramaticae licet. Nonne Friederichsii (Prax. p. 80) verba „der Blick, der nach Schlegels Bemerkung immer auf die Mutter zurückkehrt, muss anhalten bei dieser Figur und neu ansetzen, ähnlich wie es die Stimme muss, wenn wir über einen Hiatus hinweglesen sollen,“ etiam in hanc compositionem quadrant? Attamen non nego, minores complexiones praeter matrem et filiam minimam ab artifice fictas esse, cum periculosissimum videatur, arctius circumscribere leges artis statuariae. Facillime autem, ut paragrapho quarta exposui, haec complexio a posteriori artifice fingi potuit (cf. Gerhard Dr. V. p. 58 & 64, Stark p. 307), cum etiam in sarcophagis tales compositiones inveniantur, quales a Scopa aut Praxitele fingi non poterant. Certe magis ad matrem ipsam oculi nostri verterentur, si nulla praeter Nioben cum filia minima adspiceretur complexio, sed totius compositionis pulchritudo valde minueretur. Procridem Niobidis non inserendam esse, etiam Braun existimasse videtur, cum non commemoret Thierschii conjecturam. (cf. Braun p. 344.)

Ac certe multa proferri possunt argumenta, quibus haec puella e Niobidis secernenda esse videatur: sola est omnium filiarum, cujus corpus totum fere nudatum sit, cujus pedes calceis careant, cujus carpi armillis ornati sint. Sed cum non veri simile sit, hanc statuam ab ipso Scopa aut Praxitele factam esse, parva illa discrimina, quae commemoravi, a posteriori artifice orta esse possunt, ut nihil nos prohibeat, quin eodem jure quo reliqua signa etiam hoc ad opera auctoris Graeci referamus. (cf. Welcker A. D. I., p. 238—240, Stark p. 305—307.) Restat, ut quaeramus, qualis complexio huic responderit et ubi utraque sit collocanda. Perlustranti mihi animo signa nobis servata conjectura occurrebat, filium alterum fugientem (3) cum puella quae dicitur Psyche (Stark taf. XVII., 13) conjunctum fuisse. Quam puellam a plerisque rejectam Gerhard (Dr. V. p. 63), Welcker (A. D. I., p. 245—248), Stark (p. 299—305), Friederichs (Bst. p. 237) reliquis signis addendam esse existimarunt. Neque ullum argumentum exstare puto, cur haec pulcherrima figura rejicienda sit, quam Wagner (p. 214), Meyer (p. 83), Jahn (p. 179) dignissimam esse censent, quae a Scopa aut Praxitele Niobidis inserta sit, neque aliam ob causam refutarunt, quam quod alarum reliquiae in tergo adspiciantur. Certe nimis simplex videretur signorum complexio, si omnes fere filiae eadem aetate et eodem corporis habitu fictae essent. Neque opinioni meae, conjunctam fuisse hanc puellam cum filio altero, quidquam obstat: eodem profugiunt, eodem capita vertunt, facillime componi possunt propter magnitudinem. (Hic cum basi 1,517 m. altus est, illa cum basi 1,234 m., sine basi 1,008 m.) Quamquam ab utroque latere liberos ad matrem confugere oportet, tamen haec complexio etiam in sinistro collocari potest, cum capita retro ad Nioben versa sint. (cf. Friederichs Bst. p. 244.) Itaque hanc compositionem Cephalo et Procridi respondisse putabam, donec Starkii (p. 248) legi conjecturam, Psychen cum filio tertio fugiente (2) consociatam fuisse et in sini-

stro latere collocatam. Quae conjectura valde probabilis mihi visa est. Etenim jam antea sententiae, quam Levezow (p. 37, 44, 60), Gerhard (B. a. B. I., p. 58, no. 60), Jahn (p. 178) protulerant, adsensus eram, mutilam illam puellam Musei Berolinensis quae Psyche dicitur Niobidam habendam esse. Itaque cum etiam in Museo Capitolino et Parisiensi tres praeterea servatae sint puellae (Stark p. 300), quarum una antea cum filio genu nixo (14) conjuncta erat neque ullas alarum reliquias ostendit (cf. Clarac pl. 587, no. 1273), non audaciorem, quam quae probari possit, opinionem meam esse censeo, in compositione originali duas fortasse fuisse puellas, quae postea, cum non recte intellegeretur significatio earum, Psychae vocatae sint. Etenim multis exemplis Welcker demonstravit non raro a posteriori artifice prioris signa aliqua ex parte mutata et alio nomine affecta esse. (cf. Schorn p. 242—243, Stark p. 169.) Certe si quattuor illas puellas (6, 7, 10, 11) et tres filios (2, 3, 4), qui nimia simplicitate oculos nostros offendunt, ita ab artifice collocatos fuisse existimas, ut apud Welckerum adspiciantur, non improbabis conjecturam meam, duas „Psychas" originali compositioni insertas fuisse. Etenim cum plurimi liberi eadem fere aetate sint, eodem fere corporis habitu incedant, jam hanc ob causam recipiendas esse duas fugientes puellas puto, ut et varietas compositionis augeatur, et liberi minores natu inter adultos spectentur. Quibus praeterea argumentis haec filii tertii et Psychae complexio adjuvetur, Stark copiose demonstrat. In sinistro latere etiam Mueller (D. a. K. I., taf. 33) et Overbeck (II., taf. 69) tertium filium posuerunt. Itaque si duas puellas, quas a Scopa aut Praxitele Niobidis additas esse censeo, paullulum et corporis habitu et flexu capitis inter se discrepuisse existimas, nihil obstare videtur, quin filium tertium et secundum cum puellis curvato corpore incedentibus conjunctos fuisse opinemur. Nonne similiter Wagner (p. 209) de filio tertio (2) judicasse videtur? „Aber was soll der nach vorn und über sich ausgestreckte Arm? Ich bin

daher der Meinung, dass diese Bildsäule nicht so einzeln gestanden, sondern auf irgend eine Weise mit einer andern Figur verbunden gewesen.“ Certe multa praeterea proferre possum argumenta, quibus conjectura mea comprobari videtur. Huc accedit, ut optimo jure Friederichs etiam hanc ob causam (cf. Prax. p. 85) in frontispicio collocatos fuisse Niobidas negaverit, quod duo filii (2 & 3) tam praecipiti cursu festinarent, ut nullo modo proxime ante eos alia signa constitui possent. Quod argumentum tollitur, si conjectura mea probatur. Etenim non ut fugiant, sed ut sorores tegant, filii corpora prona flectunt pedibusque saxo impositis nituntur. Tali compositione etiam intellegitur, quid sibi velint bracchia filii secundi (3), quorum habitus vix perspici potest, si solus constitutus fuisse putatur.

Neque aliam compositionem valde mihi placuisse tacebo, quam nemo, quod sciam, adhuc commendavit. Etenim filiam illam, quam Thiersch (p. 369, Anm. 66), Friederichs (Prax. p. 77—80, Bst. p. 238), Overbeck (II., p. 43) e Niobidis secernendam esse putarunt (11), cum filio minimo conjunctam Cephalo et Procridi respondisse existimo. Cum quaecumque de hac statua docti viri fecerunt judicia Stark (p. 272—279) breviter commemorarit et partim refutarit, hoc loco illius tantum sententiae, quam Welcker (A. D. I., p. 278) et Trendelenburg (p. 8 & 26) professi sunt, mentionem faciam, quamquam aliqua ex parte jam Friederichs (Prax. p. 79) eam rejecit. Etenim quicumque de Niobidis scripserunt praeter Welckerum et Trendelenburgium filiam illam cum alia persona conjungendam esse existimarunt; illi solam stetisse putant. Ego quidem Starkio (p. 275) adsentior, qui luculentissime ostendit, non intellegi posse habitum filiae illius, nisi consociata sit cum altera statua. Quae autem a Starkio (p. 277) proposita est complexio improbanda mihi videtur. Etenim si, ut Starkio placet, Narcissus (15) cum filia illa conjungendus esset, et dextera ejus sursum tensa et pedes retro

versi malam redderent compositionem. Neque ex tali complexione intellegi potest, quid sibi velit dextera sororis manus, qua fratri os opprimere videtur, qui contra sororis faciem dextera sua tegit. Huc accedit, ut, cum utraque figura a matre aversa sit, haec compositio non bene conveniat complexioni dramaticae. Gerlachii (p. 51) conjectura, hanc puellam cum Ilioneo conjunctam fuisse, non minus perversa est quam altera, huic complexioni respondisse statuam Musei Berolinensis (10) consociatam cum filio procumbente (14). Hanc enim solam stetisse necesse est; de illa Stark (p. 278) optimo jure ita judicavit: „Die Gesammtwendung unserer Statue erwartet vielmehr ein sich Hereinflüchten von der anderen Seite.“ Quae igitur figura potius cum filia illa conjungi potest, quam filius minimus natu? Cujus cum compluria exstent exemplaria magnitudine et corporis habitu inter se discrepantia, illud scilicet eligendum est, quod facillime cum sorore consociari possit. Tum plane intelleguntur motus bracchiorum filiae: sinistro vestem tollit, ut fratris corpus tegat, dextero fratrem festinantem ad Nioben retinere conatur. Tum etiam perspicimus, quam ob causam ad dexterum filiae femur vestis delabens affixa sit. „Dieser Umstand giebt Aufschluss über die Stellung der Figur. Unmittelbar vor dem Augenblick, den wir dargestellt sehen, lag ihre rechte Hand in jener Ecke des Mantels. Ein Ereigniss vor ihr zog ihre Blicke auf sich, sie erhebt (wie staunend) die Hand und das Gewand hält den empfangenen Eindruck und damit den vorhergehenden Augenblick fest.“ (Friederichs Prax. p. 79, Anm. 13.) Veste sinistra manu sublata, dextera femore nixa filia fratrem accurrentem exspectaverat, ut eum „toto corpore,“ „tota veste“ tegeret; sed filius apud sororem commorari nolens ad matrem properat. Itaque dextram soror tollit manum, ut fugientem retineat. Certe pulcherrima exsistit compositio, si filium Florentinum (Stark taf. XVI., 10 c.), qui et propter magnitudinem (cum basi 1,311 m., sine basi 1,217 m. altus est) et propter tardiorem cursum

aptissimus complexioni videatur, cum filia illa conjungis. Quae consociatio certe jam ab aliis proposita esset, nisi paedagogus detestabilis obstitisset. Ridiculum autem videtur, filiam ipsam, quod vestem eodem fere modo, quo mater, sinistra manu tollat, (cf. Friederichs Prax. p. 80) e Niobidis ab iisdem viris secretam esse, quibus valde placuerunt tres filii fugientes a Wagnero (p. 230) optimo jure comparati cum „Bäumen, am Abhange des Waldes, die der Sturmwind umgelegt hat.“ Si autem Welcker (A. D. I., p. 273) hanc puellam fratri cum sorore vulnerata conjuncto respondisse negat, quod altitudine eum vincat, ipsius Welckeri verbis (A. D. I., p. 240, Anm. 24) haec sententia refutari potest: „dass im häufigen Copiren kleine Zusätze gemacht worden, wäre nicht zu verwundern. Aus den mehr fabrikmässigen Werkstätten lässt sich auch die Ungleichheit zusammengruppirter Figuren erklären.“ Quae difficultas praeterea facillime tollitur, si in altiori basi Cephalum et Procridem stetisse existimas. Neque timeo, ne conjectura mea rejiciatur, quod filius minimus natu adhuc salvus sit, soror, cui eum respondere existimem, jam vulnerata. Etenim non arctius leges symmetriae circumscribendae sunt, (Welcker A. D. I., p. 297) et haec complexio meliore jure quam paedagogus et filius compositioni filii majoris natu et sororis vulneratae opponi posse videtur.

Num quattuor signorum consociationes, quas commemoravi, Niobidis inserendae sint, alia est quaestio. Feuerbach (V. A. p. 393), Mueller (H. A. Z. p. 236), Gerhard (Dr. V. p. 58), Overbeck (II., p. 44), Stark (p. 335), Gerlach (p. 53) complures compositiones minores praeter matrem et filiam minimam exstitisse putarunt; quam sententiam Welcker (A. D. I., p. 295) refutare conatus est. Attamen iis inprimis qui ut Welcker et Friederichs artificem Graecum Sophoclis tragoediam imitatum esse putant et fabulam ita in scena actam, ut omnes sub spectatorum oculis morerentur liberi, probandae erunt quattuor compositiones, quas proposui. (cf. Friederichs Prax. p. 73.) Mihi

quidem valde augeri videtur totius compositionis pulchritudo, si quattuor complexiones minores illi inserantur; sed nullam demonstrationis vim argumentis meis inesse haud ignorans hac de re dijudicare non audeo. Restat ut exponatur, ubi collocandae sint complexiones minores. Constat inter omnes, quibus aliqua tantum symmetriae scientia est, eodem intervallo ab utroque matris latere eundem liberorum numerum componendum esse. Quae lex non minus in consociationes consanguineorum quadrat. Itaque cum antea nulla praeter filium et sororem vulneratam, paedagogum et filium minimum natu exstitisse putaretur complexio, nulla fuit inter doctos viros discrepantia de compositione earum. Sed non omittendum est, nullam causam esse in natura ipsa statuarum, cur ita collocandae sint. Etenim cum filia altera (11) paedagogum altitudine superet a Welckero non post eum poni potuit; eandem ob causam Gerhard paedagogum cum filio minimo conjunctum ita collocavit, ut duae inter eum et Nioben stent personae. Itaque necessario filius cum sorore vulnerata consociatus post filias fugientes constitutus est. Sed, ut supra dixi, nulla est in statuis ipsis causa, cur ita disponantur. Etenim Welckeri (A. D. I., p. 278) verba „diese Gruppen müssen die Mitte ihrer Seite eingenommen haben" et inaccurate dicta sunt neque ullam demonstrationis vim habent. Nam quomodo sex figurarum una re vera media esse potest? Multo autem magis leges compositionis dramaticae violantur, si eadem notione, qua Nioben totius compositionis, illas complexiones utriusque lateris medium obtinuisse existimas. Certe quam proxime ad matrem collocandae sunt minores illae consociationes, ut intellegamus, turbulentas maris undas majori vehementia ad saxum prominens jactari. Ubi reges pugnabant, acerrimum certamen esse solebat. Attamen non ut Gerlach (p. 50) juxta matrem reliquas complexiones collocandas esse censeo, ne Niobes majestas minuatur neve oculi nostri simili bracchiorum habitu offendantur. Huc accedit, ut statua Musei Berolinensis (10), quam sine du-

bio Niobidis addendam esse censeo, non nisi juxta matrem constitui possit. Itaque hoc modo signa componenda esse existimo: medium frontispicium Niobe ipsa cum filia minima natu conjuncta obtinuit; in dextero latere filia fugiens (7) et filius cum sorore vulnerata (4 & 5) collocati erant, in sinistro statua Musei Berolinensis (10) et filia altera (11) cum fratre minimo natu (13); deinde ab utraque parte idem liberorum numerus constitutus erat. Alteras autem complexiones, quas supra proposui, si recipiendas esse putas, ita collocabis: post Cephalum et Procridem alteram filiam fugientem (6) statues, cui in sinistro latere filia respondebit, de qua in paragrapho octava dicam, tum in dextero latere filium secundum (3) cum Psyche conjunctum, in sinistro filium tertium (2) simili cum puella consociatum collocabis. (cf. Stark p. 335—336.) Etenim non licet, alteras complexiones juxta primas constituere, primum quod filia fugiens (6) filium secundum (3) altitudine vincit, deinde quod duobus filiis (3 & 4) idem fere corporis habitus est, tum (id quod gravissimum argumentum est) quod binis complexionibus compositis nimis minuitur ipsius matris majestas. Dixerit autem fortasse quispiam, statuam Musei Berolinensis et filiam cum fratre minimo conjunctam repugnare sententiae meae, omnium liberorum vultu et habitu oculos nostros ad Nioben convertendos esse. Sed non ita res sese habet. Etenim tantum abest, ut statua Musei Berolinensis a matre profugiat, ut corpore leniter ad dextram inclinato animum nostrum ad matrem flectat. Altera autem filia (11), quam Friederichs (Prax. p. 80) rejecit, quod a matre aversa sit, certe cum fratre conjuncta oculos nostros non offendet. Etenim filius ad Nioben festinans postulationi satisfacit. „Wie die Linien des Marmors hinanstürmen an den Mittelpunkt, so unsere Gedanken.“ (Friederichs Prax. p. 80, Anm.) Certe non bene reliquis signis haec puella inseri potest, si eam solam constituendam esse existimas.

Maxime autem totius compositionis Welckerianae filius

genu nixus (14) et Narcissus (15) mihi semper displicebant. (cf. Stark p. 336.) Uterque enim a matre profugiens, non, ut Welcker (A. D. I., p. 284) de Narcisso dicit, ad matrem confugiens vulneratus est, id quod leges compositionis dramaticae omnino perferre nequeunt. Quod cum bene intellegerent Mueller (D. a. K. I., taf. 34) et Overbeck (II., taf. 69) Narcissum in dextero latere collocandum esse censuerunt, id quod Friederichs (Prax. p. 84, Bst. p. 237) probavit. Attamen ne ita quidem tollitur difficultas. Etenim multo magis quam Narcissus frater ejus (14) nos violat. Certe mirum videtur, a nullo nisi a Gerlachio (p. 51) hunc filium in dextero latere constitutum esse. Neque enim duo vulnerati tam arcte conjungi possunt neque ita collocari, ut a matre aversi sint. Huc accedit, ut si in frontispicio signa disposita fuisse putas, caput sublatum filii majoris cymatium tympani intueatur. Fieri non potuit, ut vultus, qui Deum adspicere videatur, tam inepte definiretur. Itaque in dextero latere hunc filium collocandum esse existimo. Narcissus autem ita vertendus est, ut matrem intueatur. (cf. Gerlach p. 53.) Tali compositione etiam legibus symmetriae satisfit, quae, ut Wagner (p. 229) dicit, postulant, ut procumbentes procumbentibus respondeant.

Cum ab omnibus, qui in frontispicio Niobidas collocatos fuisse negarunt, gravissima argumenta Friederichs protulerit, ejus potissimum disputatio respicienda erit. Itaque ea primum commemorabo argumenta, quae compositione mea refutata sunt. Tres filii fugientes, quos optimo jure oculos nostros laedere dixit, ita a me dispositi sunt, ut sine dubio recipi possint. Idem de filio genu nixo (14) et Narcisso (15) dicendum est. Alterum argumentum (Prax. p. 87, Bst. p. 242), quod jam Levezow (p. 30–32) commemoravit, saxa, quibus filius secundus (3) et tertius (2) nitantur, prohibere, quominus in una basi omnia signa constituta fuisse existimemus, eo refellitur, ut filios illos cum puellis curvato corpore incedentibus conjunctos fuisse

putemus, qua compositione saxa illa tegantur. Gravissimum autem Friederichsii argumentum (Prax. p. 81—88, Bst. p. 241), altitudinem signorum non permittere, ut in frontispicio statuas collocatas fuisse censeamus, hoc loco revincere longum est. Attamen fortasse si illa, quam paragrapho octava proponam, compositio probabitur, signa in tympano constitui poterunt. Etenim cum rectissime Friederichs ita (Prax. p. 85) judicet: „Die Niobiden dürfen nicht zu eng aneinander geschoben werden, theils weil die ausgestreckten Arme und die weit ausschreitenden Füsse einzelner Figuren daran hindern, theils weil dann das Ganze gedrängt und allzu unruhig erscheint," et in compositione mea duae figurae (filius mortuus et genu nixus) ante filium fugientem (3) constitutae sint, certe minime decem pedes a fine frontispicii filius alter (3) collocandus est. Sed longum est, hoc loco Friederichsii rationes refutare. Hoc unum demonstrasse mihi videor, nulla esse in statuis ipsis argumenta, quae prohibeant, quominus in frontispicio signa stetisse putemus. Neque omittendum est, id quod Friederichs (Prax. p. 87) diluisse arbitratur, signa nobis servata a compluribus artificibus variis temporibus profecta esse, qui vix auctorem Graecum tam diligenter imitati sint, ut eadem mensura statuas fingerent. Itaque fore ut multi, qui antea statuas in tympano collocatas fuisse negarant, compositionem meam probent et in frontispicio signa constituenda esse censeant, spero. Etenim cum omnes, quae antea commendatae erant, compositiones primam complexionis dramaticae (cf. Welcker A. D. I., p. 22) legem violarent, multi viri docti fortasse sententiae adsentiebantur, quam Quatremere de Quincy (cf. Welcker A. D. I., p. 23) professus est, nullo modo in tympano octoginta pedes longo omnes figuras ita componi posse, ut ad mediam et vultu et corporis habitu oculos nostros convertant. Quam difficultatem sustuli. Itaque hanc disquisitionem verbis Ernesti Curtii (p. 40) concludam, quae norma componendorum signorum mihi fuerunt. „Wenn die Niobiden auch niemals

das Giebeldreieck eines Tempels ausgefüllt haben, nach Analogie eines Giebelfeldes ist die Gruppe ohne Zweifel gebildet und darnach ist auch über die ursprüngliche Aufstellung zu urtheilen."

§. 8. Restat, ut explicem, quomodo statuas componendas esse existimem. Itaque primum declarandum est, quae signa Niobidis inserenda esse censeam. Welcker et omnes fere post eum in dextero latere filiam mortuam (1) jacuisse putabant. Mihi autem Starkii (p. 309) probanda videtur sententia, refutandam esse Welckeri conjecturam. Sed cum forma tympani et leges symmetriae postulent, ut altera figura mortua adspiciatur, alterum filium jacentem Niobidis addendum esse arbitror. Etenim cum praeter filium Florentinum (16) duo nobis servati sint Niobidae morientes (Stark, p. 261—263), quorum inprimis statua Musei Monacensis valde laudatur, sine dubio unum ex iis compositioni nostrae insero. Huc accedit, ut vestis filiae moribundae meo quidem judicio vix formosum praebere possit adspectum, si in frontispicio templi collocandas esse statuas existimamus. Etenim in tanta altitudine saxo simile videretur vestimentum filiae jacentis. Itaque cum necessario nudam fuisse figuram prostratam censeam neque puellam nudatam ab artifice fictam esse, etiam hanc ob causam alterum filium moribundum statuis addendum esse puto. De statua Musei Dresdensis inter se differunt, quae Becker (I., taf. 32), Clarac (pl. 587, no. 1268), Stark (p. 262) referunt. Etenim Becker statuam 5⅙ pedes Parisinos, Clarac 6 pedes, Stark 6½ pedes longam esse commemorant. Idem autem judicium de confectione signi Becker et Stark faciunt: dexterum ejus latus tam neglegenter fictum esse, ut signum ita collocandum sit, ut sinistrum tantum latus accurate perfectum adspici possit. Huc accedit, ut statua Musei Dresdensis sola omnium prorsus in tergo jaceat, signum Musei Monacensis (cf. Clarac pl. 587, no. 1279) leniter ad dexteram inclinatum sit. Quamobrem cum figura in dextero latere ita collocanda sit,

ut caput ad Nioben spectet et sinistrum tantum corporis latus adspiciatur, filium moribundum Musei Dresdensis Niobidis addendum esse censeo.

Reliquum est, ut ostendam, qualem statuam filiae fugienti (6) respondisse existimem (cf. p. 50). Est in Museo Berolinensi (cf. Gerhard B. a. B. I., p. 66, no. 70) statua, quae dicitur puella adorans, quam ex quo adspicere mihi licebat Niobidis inserendam esse censebam. Signum omni ex parte eadem diligentia confectum in utroque latere collocari potest, sed pulcherrimum certe praebet adspectum, si in sinistro constituitur. Puella sine basi 1,53 m. alta leniter procedit, dextera manu ad caelum protensa, sinistra vestem tollit. (cf. Levezow taf. X., p. 37, 44, 45, 60, 61). Gerhard 4⅔, Levezow 5 pedes altam esse statuam commemorat; ille sinistrum, hic dexterum ejus latus laudat. Marmor Parium esse Levezow affirmat. Neque Gerhardium effugit, hanc puellam fortasse Niobidis addendam esse. Certe gracilitas corporis, quam Levezow et Gerhard commemorant, simillima est Niobeae minimae natu et puellis quae dicuntur Psychae. Idem ac reliquarum Niobidarum hujus statuae vestimentum est neque grave ullum argumentum proferri posse censeo, cur haec statua compositioni nostrae non adjicienda sit. Signum ita collocandum esse, ut ad matrem spectet, vix commemorandum videtur.

De altera „Psycha," quam cum tertio filio fugiente (2) conjungendam esse arbitror, difficile est dijudicatu. Fortasse mutila illa statua Musei Berolinensis (cf. Levezow taf. IX., Clarac pl. 650 B., no. 1500 B.), quam Levezow Niobeam minimam natu habendam esse censet, cum fratre consocianda est. Etenim signum e marmore Pario factum 3 pedes altum altitudinem 4½ pedum praestaret, si erectum esset; gracilitas corporis et vestimentum simillima sunt Niobeae minimae natu et statuae, quae dicitur puella adorans. Gerhard Niobidam astragalizousam hanc figuram esse putat; mihi quidem puella ad fratris genua procumbere videtur,

simillima Psychae cum Amore conjunctae (cf. Clarac pl. 266, no. 1499). Sed hac de re dijudicare mihi non licet. Fortasse enim meliore jure alia statua cum fratre collocanda est. (cf. Clarac pl. 588, no. 1273; pl. 654, no. 1500 A.; pl. 331, no. 1500.)

Itaque signa, e quibus Niobidarum complexionem constitisse puto, breviter enumerabo et literis latinis significabo.

a) Filius moribundus Musei Dresdensis, qui ita collocandus est, ut caput ad Nioben spectet et sinistrum tantum corporis latus adspiciatur.

b) Filius genu nixus (14).

c) Alter filius fugiens (3).

d) Puella curvato corpore incedens vulgo Psyche vocata, quae cum c. ita conjungenda est, ut sinistrum fratris femur tegatur.

e) Altera filia fugiens (6).

f) & g) Consanguineorum complexio, quae antea Cephalus et Procris dicebatur (4 & 5).

h) Prior filia fugiens (7).

N) & i) Niobe cum filia minima (8 & 9).

k) Statua Musei Berolinensis (10).

l) & m) Filia, quae vestem tollit, (11) cum filio minimo (13) conjuncta.

n) Statua Musei Berolinensis, quae dicitur puella adorans.

o) Altera filia curvato corpore incedens similis illi, quae litera d. significata est, tam arcte conjuncta cum

p) Tertio filio fugiente (2), ut dexterum ejus femur obtegatur.

q) Narcissus (15) ita collocatus, ut ad matrem spectet.

r) Filius moribundus Musei Florentini (16).

Signorum autem compositionem hanc fuisse existimo:

a — b + c & d + e + f & g + h + N & i + k + l & m + n + o & p + q — r

Qua in compositione quanta diligentia leges symmetriae, artis statuariae, complexionis dramaticae observatae

sint, facillime est intellectu. Liberorum autem numerus idem est, quem Thiersch (p. 371) statuerat, qui octo puellas, novem filios agnoverat. Sed cum filia minima natu cum matre conjuncta sit, meliore jure opinio mea probari posse videtur, octo puellis octo filios respondisse quam septem filias novem fratribus. Qui liberorum numerus si major quam qui recipi possit videtur facillime statuis d. et o. rejectis minui potest, ut septem filiae octo filii residui sint. Neque iis, qui ex quattuordecim figuris compositionem constitisse putant, quidquam obstat, quin ex statuis servatis formosam construant complexionem. Nonne signa ita ordinari possunt:

a — b — e + f & g + h + N & i + k + l & m + p — q — r?

Aut, ut diligenter leges symmetriae observentur, pro filio p. puella n. compositioni inseri potest, ut praeter filiam minimam sex sorores sex fratribus respondeant.

Quarum conjecturarum si una aut altera probabitur, nihil fortasse impediet, quin signa in frontispicio templi collocata fuisse existimemus. „Der Gedanke, die Gruppe wie ein steinern Motto in den Giebel eines Apollotempels zu setzen, ist schön und poetisch.“ (Friederichs Prax. p. 88.) Itaque hoc loco non omittam, ab artifice hujus saeculi in frontispicio templi Apollinaris Niobidarum interitum fictum esse. Etenim anno 1820. Fridericus Tieck tympanum theatri regii Berolinensis Niobidarum compositione ornandum curavit. Quae a Rathgebero eodem anno confecta quamquam non omni ex parte probanda videtur, tamen nonnulla argumenta, quibus Stark Welckeri conjecturam refutare conatus est, diluit. Statuarum autem Florentinarum praeter matrem et filiam minimam duas tantum filias fugientes (6 & 7) complexioni inseruit, quarum unam (7) in sinistro Niobes latere collocavit; reliqua signa iis simillima sunt, quae in anaglypho Albani (cf. Stark taf. III., 3 & p. 173—174) spectantur. Tota compositio ex duodecim consistit liberis, quorum in dextero latere sex, in si-

nistro quinque constituti sunt. Quamquam igitur leges symmetriae neglectae sunt, quamquam signorum complexio vix dramatica appellari potest, tamen artifici gratia habenda est, quod hac compositione tympanum templi ornavit, quae etiam Atheniensibus (cf. Stark p. 111—118) magnificentissimum theatri decus videbatur.

Sed haec hactenus. Etenim cum nullum Museum praeter Berolinense adire mihi licuerit, de compositione Niobidarum dijudicare nequeo. Sed jam pulcherrimum disputationis fructum percepisse mihi videbor, si hisce observationibus ad accuratiores disquisitiones nonnullos incitavero, quibus et omnes, quae exstant, Niobidarum reliquias adspicere licet et doctrinae vis propria est et cognitio artis Graecae. Etenim qui antea hanc materiam tractarunt leges artis statuariae, symmetriae, complexionis dramaticae tam temere violarunt, ut nullo modo compositiones probari possent. Itaque optimo jure Friederichs et Stark Welckeri, Muelleri, Gerhardii constructiones refutarunt et Niobidas in frontispicio templi collocari posse negarunt. Mea autem compositio cum diligentissime sequatur leges artis statuariae et formositatis haud indigna mihi videtur, quae simillima compositionis originalis existimetur. Etenim cum non plane discerni possit, quae signa ab ipso auctore Graeco profecta sint, cum veritas ut ita dicam historica vix explorari possit, leges formositatis inprimis sequendae sunt, cum idem sit verum et formosum (cf. Trendelenburg p. 16—18). Itaque cum multo formosior sit mea compositio quam quaecumque ab aliis adhuc commendatae sunt, etiam plus veritatis quam reliquis meae inesse censeo. Etenim non solum in religionem, sed etiam in artem Lessingii verba (B. T. ultima verba) quadrant: „Nur die missverstandene Religion (Kunst) kann uns von dem Schönen entfernen, und es ist ein Beweis für die wahre, für die richtig verstandene wahre Religion (Kunst), wenn sie uns überall auf das Schöne zurückbringt.“

VITA.

Pridie Nonas Februarias anni 1847. in oppidulo Neo-Marchiae, quod vocatur Driesen, patre Hermanno Gensichen, sacerdote ecclesiae tunc Driesensis, nunc Neo-Trebbinensis, matre Minna e gente Steinke natus sum, quos adhuc superstites summa cum reverentia colo venerorque. Nomina mihi indita sunt Otto Franz. Confessionem profiteor evangelicam. Educatus usque ad annum duodecimum in oppido patrio literarum tirocinia apud patrem et magistrum domesticum absolvi, quem pio gratoque animo prosequor semperque prosequar. Tum autumno anni 1859. ad gymnasium Landsbergense me contuli, quod directore Tzschirner illo tempore efflorescebat. Theologiae destinatus, — si fas est, ita loqui de voto patris clementissimi et sapientissimi, qui numquam studiis meis adversabatur, — jam in tertia gymnasii classe ad mathematicam incumbebam, Gentzii, hujus disciplinae magistri, perspicua et diligentissima docendi ratione incitatus. Qui postquam anno 1864. Landsberga discessit, ad gymnasium Fridericum Guilelmum Berolinense me contuli, ut Schellbachii lectionibus mathematicis interessem. Proximo anno examine maturitatis superato rectore celeberrimo Braun numero civium universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis legitime adscriptus apud illustrissimum Kummer, eo tempore decanum ordinis

philosophici, nomen professus sum, ut cum philosophiae et mathematicae tum linguarum veterum studio me dederem. Sed jam primo semestri mathematicam dimisi et archaeologiae vacabam. Itaque per triennium viros audivi illustrissimos hosce: Arndt, Boeckh, Geppert, Gruppe, Harms, Haupt, Huebner, Kirchhoff, Mommsen, Muellenhoff, Trendelenburg, Werder. Quibus omnibus optime de me meritis gratias quam maximas ago, sperans fore, ut gratiam referre aliquando mihi liceat.

„At mihi jam puero caelestia sacra placebant,
Et quod temptabam dicere versus erat.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
Sollicitaeque fugax ambitionis eram.
Et petere Aoniae suadebant tuta sorores
Otia judicio semper amata meo.“[1])

Quattuor fabulas,[2]) quibus tituli sunt „Gajus Grakchus,“ „Jesus von Nazareth,“ „Judas Ischarioth,“ „Die Zerstörung Jerusalems,“ hoc anno praenominibus meis usus edidi; mox carmina mea in publicum prodibunt. Itaque et Musarum erga me favore et valetudinis imbecillitate commotus nullum umquam petam munus scholasticum, sed artibus et literis totum me dicabo.

---

[1]) cf. P. Ovidii Nasonis tristium libr. IV., eleg. 10.

[2]) **Gajus Grakchus**, Trauerspiel von Otto Franz. Berlin 1869. Verlag von L. Heimann.

Jesus von Nazareth, Schauspiel von Otto Franz. Berlin 1869. Verlag von L. Heimann.

Judas Ischarioth, Trauerspiel von Otto Franz. Berlin 1869. Verlag von L. Heimann.

Die Zerstörung Jerusalems, Trauerspiel von Otto Franz. Berlin 1869. Verlag von L. Heimann.

Typis impresserunt Striese et socius (J. Windolff) Berolini, via Lipsiensi 60.